SYMBOLARUM
DECAS ROMANA.

SYMBOLAE
LITTERARIAE
OPUSCULA VARIA

PHILOLOGICA SCIENTIFICA ANTIQUARIA
SIGNA LAPIDES NUMISMATA GEMMAS

ET MONUMENTA MEDII AEVI

NUNC PRIMUM EDITA
COMPLECTENTES

VOLVMEN SEPTIMVM.

Tab. Æri incisis illustrat.



ROMAE CIↃ. IↃ. CC. LIV.

EX TYPOGRAPHIO PALLADIS
SUMTIBUS NICOLAI, ET MARCI PALEARINI
PRAESIDUM PERMISSU.

JOANNI PETRO
LUCATELLIO
MARCHIONI
RIPALTÆ
SS. D. N. BENEDICTI XIV.
A CUBICULO SECRETO
ET MUSEI CAPITOLINI PRÆFECTO

NICOLAUS ET MARCUS PALEARINI
S. P. D.

NON est profectò, LUCATELLI MARCHIO, cur caussam explicemus, quamobrem volumen

istud Tibi potissimum inscribere decrevimus. Quis enim prospecto Opusculorum delectu, quæ in eo continentur, non illico de Te cogitabit, cum viderit pleraque illorum ad eas artes spectare, quæ libero homine dignæ censentur, atque in iis principem tenere locum Opuscula tria Federici Borromæi Cardinalis popularis tui, quorum primum ad Sacram Picturam pertinet, alterum ejus Academiæ leges complectitur, quam ad artes ejusmodi addiscendas in usum Divini cultus cu-

curaverat inſtituendam; tertium denique Muſei deſcriptionem, quod elegantiſſimis, exquiſitiſſimiſque præclariſſimorum Artificum operibus exornaverat, ut in eo extarent exemplaria quædam, quaſi domeſtica, addiſcentibus ipſis ad imitandum propoſita? Siquidem Tu is es, qui præter præſtantem illam eruditionem, qua cum paucis es comparandus, Teque hoc officii genere digniſſimum præbes, id inſuper Tibi eſt peculiare, quod & Muſei Capitolini Præfecturam eximia cum laude

geras, quod munus tuæ fidei committere non dubitavit diligentiæ confiſus tuæ, ac ſcientiæ rei antiquariæ BENEDICTUS XIV Maximus, & Sapientiſſimus Pontifex, cujus tanta eſt ſollicitudo Rom. Capitolii majeſtatis amplificandæ, ut conquiſitis undecumque egregie ſculptis, inſcriptiſque marmoribus auxerit in immenſum, ac nova elegantiſſimaque pictarum Tabularum pinacotheca ditaverit, nunc autem in eo totus ſit, ut Chriſtianæ Religionis monumenta colligantur ad Sa-

crum Muſeum in iiſdem Capitolinis ædibus inſtruendum, atque adornandum, opus Eccleſiaſticis ſtudiis excolendis utiliſſimum, atque hujus Vrbis amplitudini ac dignitati maxime congruens. Ea igitur ratio nos potiſſimum movit, ut hunc Gorianarum Symbolarum Tomum VII. cum tui Nominis inſcriptione emitteremus. Adde præterea tam multa, tam præclara humanitatis officia, quæ in nos contuliſti, pro quibus ſi parem referre gratiam non poſſumus, quod noſtræ condi-

tionis

tionis tenuitas minime patitur, habere utique volumus, atque hanc nostram voluntatem universis testatam esse percupimus. Habe igitur Tibi, LUCATELLI Clarissime, non simulatam, non obscuram obsequii nostri significationem, quam pro tua summa in nos benevolentia, ac benignitate gratam Tibi fore confidimus. Vale.

LE-

LECTORI HUMANISSIMO

ANT. FRANCISCUS GORIUS.

MONUMENTA *quædam præcipue* SACRA, *eaque plane eximia, ac rara, continet Volumen hoc septimum mearum Symbolarum; quod consilium ita doctis hominibus placuit, ut & ipsi meo exemplo rem bene factam censuerint, edere miscellanea erudita Opuscula, quæ manu conscripta in Bibliothecis, non sine jactura rei Litterariæ, adhuc latitant, & sordido quodam squallore ac pulvere contabescunt. Nuper quum legissem præclarum opus, multiplicis eruditionis thesaurum, Catalogum sive Bibliothecam Scriptorum Mediolanensium, atque tum in primo Volumine omnium insigni, tum etiam in altera ejusdem Voluminis parte num.* CCLXXV. *pag.* 197. *enumerata mihi occurrerent Opera cum edita, tum inedita*

FE-

FEDERICI BORROMAEI *Cardinalis amplissimi, Mediolani Archiepiscopi, sanctitate ac doctrina celeberrimi; etsi omnia summo judicio, summaque eruditione conscripta censerem,. illud tamen magnopere placuit, cujus titulus* De Pictura sacra Libri duo, *Mediolani impressum fuit anno salutis* MDCXXXIV. *quarta forma majore. Statim Mediolanensibus Amicis curam demandavi, ut illud ipsum opus conquirerent, & quovis pretio mihi emerent. Sed multa adhibita diligentia venale minime inventum est. Flagrantibus votis, multisque precibus rogavi Virum praestantissimum ac doctissimum* D. THEODORUM ALEXANDRUM MARCHIONEM TRIVULTIVM, *ejusdem Purpurati consanguineum, studiorum meorum, praesertim Thesauri mei antiquorum* DIPTICHORVM *fautorem beneficentissimum, qui & ipse omnem movit lapidem, ut voti compos fierem; sed quum non invenisset apud Bibliopolas, [nam Eminentissimus Auctor paucissimis editis exemplaribus contentus erat, iisque tantum, quae solis amicis suis, quibus dono dabat, sufficerent, omnis humanae gloriae osor acerrimus, Divinae tantum in exemplum supra morta-*

les

les omnes studiosissimus] *optimum exemplar imo illud ipsum ejusdem sanctissimi Purpurati archetypum a celeberrimo Saxio Mediolanensi Bibliotheca præfecto obtinuit, ea conditione, ut hac secunda editione confecta, statim redderem, ut suo loco in eadem Bibliotheca reconderetur; quod a me accurata fide præstitum est; pro quo immortali beneficio pares ei gratias referre minime possum. Ad dignitatem, & pretium hujus rarissimi Codicis illud adcedit, quod in singulis fere paginis tam multa ejusdem Auctoris Cardinalis toto orbe laudatissimi manu adjecta sunt, ut aliam fere a pristina longe diversam, elegantiorem, locupletiorem, ornatioremque faciem obtineat; ideoque fere ex integro aureum hujusmodi opus longe absolutissimum habendum sit. Quanta sit hujusce operis utilitas, celebritas, præstantia, nihil adtinet dicere, quum sit legentibus plane manifestum. Dum opus hujusmodi omnigena eruditione refertum excuderetur, adnotationes perbreves adjectæ sunt, excerptæ ex celeberrimo Auctore, Præsule* Joanne Bottario, *qui Romæ subterraneæ sculpta ac picta monumenta summo judicio, exquisita atque uberrima doctri-*

doctrina inlustravit, quibus non pauca hujus operis accurate elucidantur, ac breviter expenduntur. Cogitabam adferre additamenta quædam; sed non licuit videre, & apud me habere eximium Ayalæ Hispani opus, quod frequenter laudatum occurrit in divinis Operibus sapientissimi Pontificis Maximi BENEDICTI XIV. *qui & ipse de Pictura sacra scribit, & de Pictorum erroribus multa luculenter adnotata sunt; cui quidem & hos libros Cardinalis Borromæi, & tractatum Florentini Raphaelis Borghinii, qui inscribitur* il Riposo, *facem prætulisse suspicor. Perjucundam sane gratulandi mihi occasionem præbuit præclarissimus* BORROMAEUS *Auctor, qui dum laudat veterum sacras picturas, & sculpturas, quas ab interitu, & oblivione vindicare studuit, non inanem conlocasse me operam intellexi, qui multo labore, nec mediocribus impensis quindecim ab hinc annis sacra monumenta vetustiora plena religionis, ac verendæ majestatis Romanæ, & Græcæ, tum picta, tum sculpta vel ebore, vel marmore, sedula cura collegi, mihique Museum sacrum instruxi; ea vero quæ comparare, vel habere non potui, per-*

dili-

diligenter delineanda curavi, hisque adjeci ea, quæ in antiquissimis membranaceis Codicibus picta, perrara quidem, observantur, quibus mirum in modum antiqui mores, & ritus Ecclesiæ Dei explicantur.

Huic Borromæjano Operi duo alia Opuscula adjiciuntur, quæ eumdem parentem doctissimum habent, nempe Leges observandæ in Academia, quam de Graphide instituit *eo consilio, & ratione, ut Artifices erudirentur ad Divini cultus opera, & aliquanto meliores in eo genere artes eas facerent. Sequitur ejus* Mvsevm, *tabulis præstantiorum Pictorum nobilissimum, ac refertissimum, quæ ab eo accurate describuntur, & celeberrimorum Artificum nomina immortali gratia ornantur.*

Utinam & contra Scriptorum quorumdam audaciam, & insolentiam Academia virorum doctissimorum institueretur, qui eorum criminationes refellerent, & veritatem docerent! Siquidem non Pictores, & Sculptores tantum peccant in suis operibus, sed etiam Scriptores, qui honestas, perutiles criticas leges non servantes,

tes, aliorum curas, & lucubrationes inanis gloriæ cupidi perperam mordacibus ac procacibus dictis traducunt, & quod pejus est, Christiano nomine prorsus indignum, Auctorum honestatem pessumdant, mores contumeliis, & opprobriis turpissimis onerant, bene de litteris merentes agitant, vexant, conculcant, & ut famam nomenque suum tueantur, ceterisque omnibus sapientiores, ac doctiores credantur, & labores eorum, qui in præclaris disciplinis præcellunt, damnant, & bacchantium more extinguere atque omnino abolere conantur.

Gregorium Nazianzenum virum sanctissimum, atque ab omni calumniandi studio alienissimum a criminationibus in eum a Joanne Meursio congestis defendit Vir summus P. ALEXANDER POLITUS, *ex Collegio Clericorum Regularium Scholarum Piarum, in Pisano Atheneo humaniorum litterarum Professor, editis compluribus eximiis ingenii monimentis celeberrimus. Has animadversiones optimi mæcenatis sui nomine conlustratas, quum Romam misissem duobus fere ab hinc annis, tum quum idem Politus vivebat, eas nunc*

post

post ejus obitum Romano Typographo adnectere atque in lucem proferre peropportunum, & commodum visum est, vel quia MEVRSIANORVM *Voluminum editionem Florentiæ absolutam audivit, multis laboribus & curis auctam Celeberrimi Professoris Joannis* LAMII, *quapropter diutius in suis forulis detinere eas minime voluit. Utcumque res se se habeat, primigenia præstabunt picturæ sanctissimi Gregorii Nazianzeni lineamenta, quæ numquam Meursiana spongia delere poterit.*

Quæ sequitur pererudita Academici Cruscanici Epistola ad Academicum Conlegam suum ab eo scripta, plurima de divino poetarum Italorum patre, ac principe Dante Aligherio jucundissima continet; Et præcipue quæstionem agitat, utrum ille Inferni, & Purgatorii descriptiones ab antiqua quadam fabula, quæ vulgari titulo inscribitur Il Meschino, *fit mutuatus. Eruditissimus Academicus in illam descendit sententiam quod Dantes multa ex memorata illa fabula desumpserit, quam Francico idiomate ante Poetœ nostri tempora fuisse scriptam, & postea Italice versam suspicatur. Porro etsi quodvis scriptum præcipue re commendatur*

non auctoris nomine, hic tamen plurimi interesse arbitror nosse ab Ill.mo Præsule Johanne Bottario emissam esse hanc epistolam, multum enim decoris, pretii, & famæ operi accedat necesse est ex celebratissimo nomine tam egregii Viri, qui cum in omni eruditionis, & doctrinæ genere præstet; in eo certe quod spectat ad patriæ linguæ auctores vindicandos, exornandosque, talem sibi promeritus est laudem, ut nusquam alius consecutus sit ampliorem.

Volumen claudunt tres aliæ Epistolæ de Pictura. *Duæ ex his Josephum Mariam Suaresium Episcopum olim Vasionensem habent auctorem. Scripsit primam Francisco S. R. E. Cardinali Barberino notitiam illi præbens celeberrimæ illius musivo opere expressæ Naviculæ in Basilica S. Petri a Jotto Florentino, per quem pictura extincta revixit. Altera Philippo Baldinuccio, vitis inlustrium in picturæ artibus virorum compilatis, noto viro scripta est in idem argumentum.*

Demum Antonius Maria Salvinius jucundæ suavisque mihi universoque Litterario Orbi recordationis Viri in epistola ad Laurentium Adrianum Pisani Seminarii

Re-

Rectorem laudatissimum quæ data est, acerbam Wandembrochii mortem deplorat, & alia quædam litteraria nova nunciat. His intenim Lector fruere. & Vale.

RERUM
SAPIENTIA CVSTOS

INDEX
OPUSCULORUM
QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

IMPRIMATUR
Si videbitur Reverendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost. Ord. Præd.
F. M. de Rubeis Patr. Const. Vic.

IMPRIMATUR
Fr. Vinc. Elena Ord. Præd. S.P.A.M.S.

FE-

FEDERICI
CARD. BORROMÆI
ARCHIEPISC. MEDIOLANI
DE
PICTURA SACRA
LIBRI DVO.

LIBER PRIMUS.

LIBRI ARGUMENTUM, ET ORDO.

CAPUT I.

ACturus ego de *Sacra Pictura* supervacaneam esse curam existimo tractandi, qui primi fuerint Picturæ inventores, quæ initia, quosve progressus habuerit Ars ea, donec in eam auctoritatem, & honorem veniret, qui hodie arti ei habetur. Ne illud quidem elegantis ingenii homines probarent, si oratorio quodam filo texere hujus nobilissimæ artis laudationem aggrederer. Nam qui cum aliquo judicio aliena legunt, cupiunt statim ad rem propositam, argumentumque veniri; ac tunc maxime cupiunt, cum nota, & communia, & aliorum explicata litteris sint ea, quæ ante rem ipsam in medium afferri possent. Quamobrem nulla alia præfatione utentes, opus hoc nostrum in quantamcumque magnitudinem id processurum sit, bipartito divisum fore dicimus. Pars una communia quædam toti arti præcepta continebit, quæ ad Picturam sacram, sive Scul-

Sap. 14. 14.
Athen. Apol. pro Christianis.
Plin. lib. 35. c. 3. & 8.

Divisio Operis.

 ptu-

pturam quam maxime expoliendam pertinebunt. Pars altera propositum habebit hoc, ut pictores, sculptoresve sacri doceantur, quomodo mysteria nostræ Fidei, Sanctorumque imagines exprimere possint, salva historiarum fide, ut divinus cultus artium istarum ope etiam augeatur. Ita enim de utraque agemus arte, tamquam si una, eademque esset. Atque tractando talia nos, & docendo, satisfacere conabimur in hac etiam parte sacri Concilii Tridentini decreto, quo jubentur Episcopi tradere populo Fidei mysteria, historiasque sacras non verbo solum, sed pictura etiam, vel quapiam alia mysteriorum eorum imagine, quæ animos, sensusque hominum ad Fidei capita recolenda excitare possit.

Sess. 25.

DE DECORO.

CAPUT II.

Decorum quid sit.

IN moribus etiam hominum quæritur præcipue, & super omnia placet intuentium animis id, quod decorum appellatur; splendor nempe quidam & lumen, sive flos ex omni motu, & actione existens, quo splendore vel flore mens hilarata recreatur. Atque jucunditas, voluptasque ea, sicuti insita est rebus omnibus, quæ cum aliqua venustate, & gratia fiunt, ita per artem transfertur, inseriturque imaginibus rerum earundem, quas coloribus, aut saxo ars utra-

utraque humanos actus imitando effingit. Nec ulla in re differt Artium istarum jucunditas ab illa naturali, & viva jucunditate, nisi quod simulacra ista nec spirant, nec loquuntur, nec motum plane ullum habent, mortuisque coloribus, & imaginibus quodammodo tenebrosis inclusa sunt. Non tamen mortui colores, & muta isthæc saxa decori leges excludunt, sed potius eas requirunt magis. Nam quidquid in artibus hujusmodi contra decorum peccatur, perpetuum, æternumque est, cum morum utique nostrorum mutatio facilis sit, hique momento pene eodem subjiciantur oculis, & subtrahantur. Præterea corrumpitur, violaturque decorum ipsum in moribus temere, & inopinate, sive etiam perturbatione aliqua vehementi deformatur invitis nobis, cum alioqui decorum hoc alterum destinato animo, manibusque nostris violetur, eximiaque species ejus ad deformitatem sæpe pudendam consulto, ac voluntarie adducatur. Quæ culpa, sive injuria, violatioque decori, si in rebus profanis admitteretur, esset utique reprehendenda, sed multo magis reprehendenda est, quoties in sacra, & divina peccatur. Primum, potissimumque præceptum circa nobilissimas istas artes veterum fuit, ut Deorum imagines fierent nobilissimi cujusque artificis manu, idque apud cœcas gentes ideo custodiebatur, quia existimabant ipsi posse talium artificum ingeniis certius, commodiusque exprimi res eas, quas ipsi

Decori leges in artibus.

In Epinome. divinas putabant. Ideoque dixit etiam Plato, stellas esse veluti certas Deorum imagines, & statuas, quæ Deos ipsos repræsentarent. Simile quiddam scriptum reliquit Plinius, *Lib. 2. c. 4.* & eo fortasse spectabant illius verba, cum innixus etiam auctoritati Varronis diceret, cælum quasi cælatum appellari. Neque contentus eo doctissimus, & celeberrimus quisque temporum eorum, propriis eam rem præceptis illustravere, quarum litterarum partem absumpsit ætas, pars vitiata temporis injuria, lucis etiam aliquid afferre potest ad rem hanc ipsam, quam demonstrare volumus; indicant enim *In Tabula Cebetis Thebani.* talium dicta, superstitesque litteræ, quomodo vellent pingi vitia, & virtutes, adversaque, & prospera, quave figura fieri deberet effigies illa, quæ conditionem humanæ vitæ repræsentaret. Non enim palatium, aulamque aliquam, sed fallacibus sinuosisque flexibus laberintum, ad eam rem accommodavere. Decori tamen hujus præcepta ita necessaria sunt, ut si artifices ea plane agnoscerent, & custodirent, labor hic etiam noster videri supervacaneus posset, quo nihil aliud efficere volumus, quam ut sacra mysteris digne, conveniencerque effingendi ratio quædam constet. Et quamquam satis probe, clareque demonstratam esse decori hujus vim, naturamque arbitramur ea ipsa definitione, qua lucem, & florem amœnissimum ex humanis moribus existentem esse diximus, addemus tamen hoc ad

rem

rem clarius meliusque demonstrandam. Decorum in omni re nihil est aliud, quam id, quod ita plane esse decet, sicuti nobis spectandum proponitur, cumque tale sit, nec demi, nec addi quidquam potest. Est enim tale, quale debet esse. Indecorum autem erit quidquid vel infra, vel supra decorum habet, dum plus, minusve quam deceat, effectum erit. Quæ definitiones satis ostendunt, virtutem omnem decoro hoc esse ornatam, quandoquidem ejus excellentia posita est in perfectione quadam, quæ parvo, nimioque interjectu existit. Ac licet ab honesto dissociari nequeat, quiddam tamen amplius habet, quod quale sit, verbis explicari non potest, quamquam mente percipiatur. Nam sicuti corporis pulchritudo ab bona, firmaque valetudine separari non potest, ita decorum hoc nusquam ab virtute separatur. Dixere quinetiam Pithagoræi, virtutem nihil aliud esse, quam decori habitum, indecorumque duobus modis effici, & constare, dum vel redundaret aliquid, vel deficeret, quorum alterum plus, alterum minus esset, quam deceret. Decorum autem in mediocritate quadam positum esse, quæ corporibus humanis ubi abesset, tunc ea ægrota dicerentur. Æqualitatem eam humorum quisquis haberet, eum commode valere dicimus, sicuti etiam humani animi motuum sanitas in mediocritate eadem posita esset. Atque ita hujus elegantissimæ doctrinæ Pithagoræorum vestigiis insistentes, di-

Theagis Pythagor. lib. de Virtutibus ex Stob. serm. 1.

M. Tull. lib. 1. de Offic.

Ex Theage Pythag. lib. de Virtut.

Indecora Imagines, & imperiti artifices. dicere possumus, imagines eas, quæ vitii, & indecori aliquid habeant, esse velut ægra corpora, artificesque imperitos morbosæ prolis esse parentes. Hactenus vis, & natura decori tractata est, quoad scilicet disputatio hæc instituta requirebat.

DE PROFANORUM VETERUM ERRORIBUS.

Caput III.

Hinc intelligi potest opus esse præceptis, & regulis, cautioneque magna, ut sacræ res recte, & ordine pingantur; siquidem profana etiam antiquitas in hoc genere allucinata graviter cum esset, errores suos postea emendandos censuit. *Hercules.* Nam cum interfectum ab Hercule Leonem ita pingerent, ut feræ illius rostrum violenter utraque manu deduceret Heros, aperiretque, contrarium historiæ id ipsum postea repertum est. Potius enim Hercules injectis in fauces manibus, bestiam strangulavit. *Cleopatra.* Neque Cleopatra [a] mammæ morsu periit, sicuti picta-

[a] In eximio Cleopatræ morientis signo, quod adhuc in Palatio Vaticano superest, fonti cuidam superpositum, ad finem longissimi ambulacri prope Vaticanam Bibliothecam, scaturienti, anguis visitur non mammæ, sed brachio sinistro admotus. Simulacrum hoc, præclarum Græci artificis opus delineatum, ac ære incisum videre est in Sylloge statuarum antiquarum a Dominico de Rubeis adornata, & a Maffejo notis illustrata n. VIII.

picta fuerat, sed brachio potius anguem admovit, ut moreretur. Ita enim est apud Plutarchum. Hujusmodi fortasse errores emendare volens Philostratus, imagines illas suas proposuit. Debuit enim offendi Scriptor ille pictorum sui temporis inscitia. Ac de Callistrati statuis id ipsum opinari licet. *In ejus vita.*

DE FALSITATE HISTORIÆ.

CAPUT IV.

AC ne qua in historia labes admittatur, sciendum est, licere quidem pictori, sive sculptori historias ordinare, & illustrare quantum velint, minime autem licere suscipere aliquam cum ipsarum veritate pugnam, & inveteratam de una quaque re famam obscurare, sive inficiari. Huc nempe etiam respiciens Sacri Concilii Tridentini decretum, tolli jussit ex pictura sacra corruptelas, erroresque omnes, ne imagines piæ aliquid haberent, quod simplicium offendere animos posset, atque in eo decreto verba de ea re sunt hujusmodi. *Ut nihil inordinatum, aut præpostere, & tumultuarie accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat.* Ut autem intelligatur quatenus variari, & ornari pictorum arte aliquid liceat, ita definiendum est. Sunt aliqua vera, propterea quod vel facta fuere olim, vel jam fiunt: Possunt aliqua esse, & fieri, sed mi-

Sess. 25.

Quæ variari possint.

minime tamen probabiliter, aliqua vero & esse, & fieri probabiliter possunt. In primo harum rerum genere, debebit pictor cum fide effingere ea, quæ vel facta fuere, vel fiunt; neque tamen id ipsum promiscue, ac sine delectu fiet, sed adhibita cura quadam, & maturitate judicii, sicuti nimirum sileri etiam aliqua in sermone quotidiano honestum est, quæ vere dici possent. Ea vero, quæ fieri, & esse, probabile est, cautione etiam, prudentiaque summa egent, cum proprie ars ista circa ea versetur, quæ vel fuere, vel sunt, ita ut quo magis quisque ab hujusmodi rebus recedit, tanto absit longius ab germana, & vera arte repræsentandi aliquid, & effingendi. Quod autem ad probabilia, sive non probabilia attinet, dicimus licere illa pro veris accipi, plane ad eum modum, quo Orator etiam in tractanda, & explicanda veritate, probabilia quædam argumenta minime adspernatur. Ita probabilia pro veris repræsentantur non sine aliqua persuadendi vi, & summa delectatione, & voluptate, quam res omnes novæ secum ferunt.

Falsa nunquã admittenda. Cæterum, falsa quæ erunt, nullo modo suscipi, & admitti oportebit, sicuti ab litteris etiam, & scriptis talia removentur. Neque enim diversa res est, falsum conscribere librum, & historiam falsam pingere. Picturæ quin etiam falsitas tam ignaris, quam doctis offensioni erit, cum altera illa litterarum falsitas, litteratis, & prudentibus tantummodo offensio-

ſionem allatura ſit. Fuit olim tam rudis aliqua ætas, ut divinus puer Jeſus in Matris conſpectu diſcens litterularum aliquid, pingeretur. Imago ejuſmodi quædam errorum ſeges erat, quaſi nimirum Salvator ipſe, ſicuti infantes cæteri, infans in litteris fuiſſet. Mendoſum item in pictura eſt, ſi quis intemeratam Virginem Deiparam in divino illo antro cæleſtem partum edentem ita faceret, ut miniſterio mulierum aliarum puerpera circumdaretur. Pingi namque ſolam in eo myſterio oportebat. Præterea videmus ſæpe noſtræ Fidei myſteriis admiſceri varias Sanctorum effigies, quod neſcio, an recte, & decore fiat. Pinxit [a] aliquis etiam in præſepio divum Franciſcum, qui flexis una cum Deipara Virgine genibus natum Infantem adoraret. Poterat id quidem ad eximiam divini Patris pietatem referri, qui exemplo ſuo cæteros ſic erudiret. Sed ſanctiſſima noſtra Fides adeo eſt amica veritati, tantaque cura fugiendum eſt quidquid arripere linguæ obtrectatorum

Puer Jeſus.

Variæ Sanctorum effigies.

[a] In hunc errorem paſſim pictores impingunt, non ſua, ſed ejus qui eorum operam ad pingendum conducunt culpa, qui inordinato in quoſdam Sanctos affectu, ubi nullum eorum imagines locum habent, ibi maxime pictores compellunt eas adponere. Hoc nullo modo ferendum eſſet, ni dicas fortaſſe in hac tabula, de qua loquitur noſter auctor, depictum fuiſſe S. Franciſcum nativitatis Domini myſterium contemplantem. De hac re vide ſis Johannem Cinellium in præfatione libri, cui titulus: *Bellezze di Firenze*. Minus tolerandum videtur, quum homines ipſi adhuc lutea vaſa portantes ſe ipſos in ſacris tabellis, quæ altaribus ſuperimponuntur, pingere faciunt, ſeu in aliis eccleſiaſticis monumentis, quæ ſacras hiſtorias repræſentant.

rum possint, ut ego laudarem eos, qui pingerent res sanctas, sicuti fuere, nihil ad eas addendo, & comminiscendo. Obscurata est etiam historiæ veritas tunc cum pictores nonnulli Lazarum[a] e tumulo exeuntem solutis manibus, & pedibus fecere. Neque debent e puteo Samaritanæ pendere funes, & hydriæ ad hauriendam aquam, cum de iis nulla in sacris literis mentio fiat. Absurda res etiam est, pingere Salvatorem purpura vestitum, sicuti interdum fit, portantem Crucem; sed suis oportet eum induere vestimentis, quibus ab infami illa hominum turba indutus fuerat, ut magis cognosceretur.

DE FABULIS GENTILIUM.

CAPUT V.

MAgna utique semper licentia data est pictoribus istis, & poetis, sed nusquam ea tanta esse debet, ut catholicæ Fidei venerabiles, & sacrosanctæ leges, ipsaque ratio, oblivioni interim tradantur, quæ sicuti in sermone omni, ita etiam in pictura, misceri profana sacris vetant. Quod qui faciunt, temere nimium, evidenterque peccant. Michael Angelus cum

Michaelis Angeli judicium.

Romæ

[a] In picturis, & sculpturis veterum Christianorum Lazarus non solum manibus, pedibusque ligatis, sed undequaque fasciis obstrictus apparet; Samaritanæ vero puteo funes, & τροχήλιον superponuntur; ut videre est in *Roma sotterranea*, sive *Osservazioni sopra le pitture, e sculture degli antichi cimiteri*. Roma 1737.

Romæ in Pontificio Sacello depingeret ultimi judicii diem, nescio quo spiritu, cymbam Charontis [a] inseruit, qua vectores miseri trajicerentur, idque minime laudabile inventum artificis illius fuit. Ecce autem permissu divino, casus ipse rem eam fabulosam, & ei loco indecoram emendavit quasi, & sustulit. Nam aræ maximæ moles, ornamentaque ejus ita cymbam occultant, ut in oculos minime incurrat. Atqui magnopere cordi fuerat majoribus nostris, ne res istæ profanæ sacras inquinarent, ipseque Constantinus Magnus vetuit imaginem suam in ullo Idolorum delubro collocari, & pingi. Nam si picta ibi, & collocata esset, contaminari quodammodo, fœdarique eam arbitrabatur. Dedecent sacras ædes, & pleraque religiosa loca Sphinges, & Satyrorum turba, & homines arborei, aliaque id genus relinquenda vanitati Gentilium, quorum propria scilicet fuere. Atque quid in toto hoc genere disciplina Ecclesiastica requirat, docet epistola Nili. Cum enim Olympiodorus Proconsul ponere martyrum uni Ædem pararet, consuluit iste per litteras Nilum, an recte facturus esset, si in pingenda Æde, parietes impleret variis animalium figuris, quæ præter martyrii

Eusеb. lib. 4. cap. 16. de vita Constantini.

Tomo 3. Concil. in 7. Synodo Act. 4.

a Cymbam Charontis non ex suo ingenio finxit divinus ille artifex Bonarota, sed ex divino Dantis poemate; quam belle utrique id ex Græcorum fabulis in sua sacra opera derivarint, judicium penes alios sit. Non autem verum est, saltem in præsenti tempore ornamenta altaris, quæ nunc nulla sunt, cymbam illam tegere.

tyrii faciem, spectaculo, & oblectamento mortalibus forent, respondit huic epistolæ Nilus, nequaquam id esse faciendum, remque fore ineptam, & puerilem, similemque præstigiis, ad oculos Fidelium eludendos. Et sancti viri, divinique hominis responsum quidem id fuit. In antiquissimis vero Templis, quæ Christiani extruxere, si qua reperientur ejusmodi monstrifica simulacra, ea ferme ex Gentilium delubris translata illuc, sacrisque parietibus inædificata reperientur. Et tanta utique cura patribus fuit in removendis ab omni Christianorum consuetudine profanis imaginibus, ut Clemens Alexandrinus præscribat, quæ sint figuræ, imaginesve maxime aptæ Christianis. Is de ea re ita præcipit; Non gladios, neque arcus, neque scyphos, sed columbas potius, & pisces, & lembos, & anchoras, & lyras incisas annulis habebunt. Sed nostris temporibus, maxime damnanda est eorum sive vanitas, sive superbia, qui ubi religiose, pieque aliquid faciendum locavere, primum omnium insignia, & stemmata sua conspici, & suspendi, intexique volunt, neque in angulo, laciniave aliqua, sed in parte maxime conspicua, & illustri, & fortasse plus auri, argentique, quam in reliquum omne opus parti huic insument. Stomachantur ante omnia pii homines adspectu trabeæ, sive planetæ alicujus, in cujus extrema ora trophæis, coronisque stemma involutum fulget, qualia nunquam veterum fornices, arcusve orna-

Lib. 3. Pædag. cap. XI.

Imagines aptæ Christianis.

Vanitas stemmatum.

ornamenta, & emblemata præferebant. Moremque hunc recentem ideo fortasse non admisere patres nostri, quia morem olim fuisse Gentilium videbant. Nam etiam apud Demosthenem extat repræhensa vanitas unius, qui sacra toga trabeatus, aureas præferebat litterarum notas cum illius nomine, qui vestem eam dicarat. Ac diuturno etiam aulæ usu excultus quidam cum insignia ista armorum passim fulgentia per sacras Ædes videret, dixerat hominem se esse mitis ingenii, nec libenter ingredi illuc, ubi tantum armorum, clypeorumque esset. Fiunt ista insignia quidem innoxie fortasse, & simpliciter; sed vitanda tamen erat suspicio vanitatis, aut superbiæ, quam sic effugere non videbantur.

Aulici elegans dictum.

DE NUDITATE.

Caput VI.

Pars autem decoris ejus, de quo antea dictum est, posita est in fugienda nuditate, quæ vel ad mysterii veritatem non necessario pertineat, vel offendere animos intuentium, & minuere pietatem possit. Ac plane numquam intelligere potui ego, quid artificii sit istud in pictura, homines, & mulieres etiam facere nudas, cum neutra corpora per fora, & vias spectentur eo habitu, resque possit esse molesta, & ingrata omnium oculis, si spectare

ita

ita quispiam vellet. Neque novum erit hoc, tegi, velarique corpora; siquidem etiam Romanorum pictura vetus id ipsum instituit, tamquam abominata Græcorum morem, quibus

Plin. lib. 34. c. 5. nuditas placuit. Aurelio sane Pictori magnopere vitio datum est, quod nudos, & nudas pingeret. Ac Græci ipsi servientes honestati, & modestiæ, proximis antiquitati temporibus,

B. Virginis imago. cum Sanctissimam Virginem pingerent, superiorem tantummodo divini corporis partem ostendebant, reliqua tegumento involvebantur; id, quod picturæ adhuc nonnullæ ostendunt.

Pictorum error. Hinc arguitur etiam eorum error, qui lactantem Puerum ita faciunt, ut pectus, & collum Deiparæ aperiant, & nudent, cum species utique illa repræsentari non debeat, nisi caute admodum, & modeste. At nonnulli nuda etiam faciunt crura Sanctorum, & Sanctarum, atque ita prope aptant ea inter se, ut incommoda aliqua cogitatio subire inde animos possit. Quæ res magni nominis Artificem apud posteros dedecoravit, itaut ex ejus tabulis id tolli mendum necesse fuerit. Sed quoniam placuit tantopere nuditas ista nonnullis, cum scilicet Romanarum statuarum pulcherrimas, nudas utique fuisse recordarentur, ut ejusmodi tegmina corporibus adhiberent, quæ nudum ostenderent simul: hi sunt admonendi, ne imitationi profanarum imaginum ita velint esse intenti, ut Christianæ pietatis obliviscantur. Abiit enim ætas illa, cum Mars, & Juno, & Ve-

& Venus loco Numinum haberentur. Ac si viveret hodie Apelles, non faceret hodie Sanctos, & Sanctas habitu, quo Deos illos inanes facere solitus fuit; sed rationem haberet dignitati, & decori, conditionique etiam temporum. Nostrorum autem Artificum alicui minime pudori erit, Virginem aliquam induisse veste stricta adeo, ut singulos artus exprimat, perinde ac si velamine simplici tegeretur. Ad reprehendendam horum impudentiam operæpretium est subjici hic verba Concilii: *Procaces vero imagines, & nimio artis lenocinio ad mundanæ potius vanitatis speciem, quam ad pietatis commonitionem effigiatas, in Templis proponi omnino vetamus.* *In Conc. Prov. Magunt. c. 41.*

DE VESTITU.

CAPUT VII.

NON igitur fugienda solum nuditas est, sed vestis etiam adhibenda, quæ corpus unumquodque deceat. Quis enim non videt agrestem cultum indecorum esse civi honesto? Et in Scena vestes aptari personis, prout quemque repræsentant, & vilissimos quosque ibi custodire hoc in habitu, & vestitu decorum? Quod cum ita sit, turpe esset in sacris, sanctisque rebus contemni id, quod etiam in Comœdia observatur. Non erunt induenda Sanctorum corpora, sicuti profana antiquitas ve-

ſtire conſuevit, neque ornatus Gentilium imitandi, ſed explorato, & cognito graviſſimi, & modeſtiſſimi cujuſque habitu, & circa veſtem inſtituto per tempora illa, unde res pingenda deſumitur, inſtituta, mores illos retinere oportebit [a]. Regem plane nullus libenter adſpexerit in lacerna humili, & pannoſa; non item mendicum in Babylonici operis peplo. Et ratio hæc efficit, ut auro contexta veſtis minime ſit circundanda Beatiſſimæ Virginis, & Sponſi Joſephi imaginibus. Nam licet Regium utrique genus fuerit, ipſaque Deipara ſumma Reginarum, pauperem tamen elegere vitam, ab cujus forma diſcrepare veſtem minime convenit. Non convenit, inquam, talibus perſonis undantem, & mollem, atque delicatam adhiberi veſtem, cujus eximia, variaque ſpecies in oculos incurrat. Nec pie, recteque fecerit Pictor, qui percuſſa ventis, & volitantia velamina repræſentaverit, ut ſic molliciem, deliciaſque veſtis oſtendat. Non enim inter res ſacras decore fiet, ſi pingeretur Proſerpinæ raptus, Sabinæve inter Juvenum manus. Neque etiam Sanctæ alicujus cincinnis gemmæ, & margaritæ inſerendæ erunt, quandoquidem faſtus, & deliciæ iſtæ capitis honeſtam quoque quamlibet in Civitate noſtra Matronam dedecerent. Pictores, qui talia delinquunt,

a De hac re videndus V. Cl. Joh. Lamius *De eruditione Apoſtolorum* cap. & *Obſervationes ad picturas &c. cœmeteriorum* paſſim.

quunt, non solum mentiuntur plurima penicillo suo, Sanctosque faciunt superbos, & vanos, & molles, cum tales numquam fuerint, sed comprobant etiam, affirmantque vanitates eas, quæ a Patribus, Doctoribusque nostris tantopere sunt improbatæ. Pictoribus istis merito aliquis dixerit id, quod Artis ejus uni dictum fuisse refert Clemens Alexandrinus, cum enim Helenam calamistratam varie, multoque gemmarum contextu, & auro fulgentem pinxisset, ita reprehensus est: quoniam pulchritudinem exprimere mulieris non potuisset, voluisse saltem indicare divitias, magnitudinemque fortunæ ejus. Tali scommate Pictores isti perstringi fortasse possent, quandoquidem ludibria, & ornamenta ejusmodi, ceu præstigias intuentium oculis parant, ut scilicet occupati vanitatum earum adspectu, ad considerandam artis excellentiam, sive ad vitia deprehendenda minus attenti esse possint. Sic nimirum etiam mulierculæ, quibus natura minus favit, assumunt fucati medicamenta candoris, quod minime facerent, si forma commodior esset. Id Clementis ejusdem Alexandrini dictum fuit, cum lenocinia illa, fucosque mulierum insectaretur. Neque enim, inquit ille, arculas adhiberent, artificiaque ista, & fallacias, nisi deformitatem ipsæ suam ex parte agnoscerent.

Lib 2. Pædag. c. 12.

Helenæ imago.

Mulierculatum fuci.

DE ÆTATE.

CAPUT VIII.

PErtinet vero plurimum ad hiſtoriæ veritatem, diſtingui perſonarum ætates, quæ repræſentantur; in quo ſi qua culpa admiſſa ſit, intelligentes magnopere offenduntur. Atque in eo, ſicut in pleriſque aliis rebus, cavendum eſt, ne opinio multitudinis pro auctoritate aſſumatur; namque multitudo, cum eadem ſemper ætate depingi Sanctos viderit, exiſtimat tales ſemper etiam fieri debere, neque altius inquirit. Pinxerat olim aliquis Apoſto-
Pauli imago. lum Paulum ſub cæleſti voce, qua Eccleſiæ inſectator arguebatur, promiſſa in pectus, canaque barba. Atqui ſcimus, minime tunc ſenem fuiſſe Paulum. Nec levior culpa Pictorum, qui Apoſtolum eumdem in repræſentando ipſius Martyrio juvenem faciunt. Etiam Deipa-
S. Joſephi imago. ræ Sponſus ille Joſeph grandi repræſentatur ætate, cum minime grandævum tunc fuiſſe Scriptores tradant. Sed fortaſſe dicet aliquis, num igitur ab inveterato more recedendum erit, itaut Sanctiſſimæ Virgini juvenis quiſpiam, vel confirmata ætate vir adjungatur? Minime ſane id faciendum erit, quandoquidem nimium magna vis eſt inveteratæ conſuetudinis, Eccleſiæque traditionum, & earum maxime, quæ myſteriis, rationibuſque auctoribuſque magnis innitun-

nituntur, ſicut hæc de Sancto Joſepho traditio, & fama nititur. Cœperat namque pingi grandævus indicandæ caſtitatis,& Sanctimoniæ cauſa, quæ duæ res facilius in provecta multum ætate, quam in annorum flore reperiuntur. Et quoniam retinenda eſt conſuetudo, moſque vetuſtus, non debent Pictores variare Sanctorum aliorum ætates, ſicuti in Divi Sebaſtiani effigie factitatum eſſe animadvertimus. Namque is tempore, quo Martyrii coronam accepit, ſenex potius erat, eumque Pictores fecere juvenem, ut in florenti, & nudo corpore oſtentandæ artis locum haberent. At Patres noſtri ſeveri, & ſancti homines, non ſic pingi Martyrem voluere. Vidimus enim ipſi ſenectam imaginem eandem in fronte Templi [a], quod Martyri huic Romæ antiquitus dicatum fuit. Multo minus conſentaneum, verumque erit, juvenem fieri Evangeliſtam Joannem, interea dum in Patmo Inſula Apocalypſim ſcribat. Senex enim ſcripſit. Porro tanti momenti eſt diſcrimen hoc ætatum, ut etiam Michaeli Angelo præclaro illi datum vitio fuerit, quod Salvatorem inter juveniles ulnas Matris mortuum fecerit e ſaxo [b]. Nec deſunt, quibus flori-

S. Sebaſtiani effigies.

Evangeliſtæ Johannis imago.

Michaelis Angeli judicium.

B 3 da

[a] S. Sebaſtiani effigies muſivo, antiquo, & rudi opere effícta cernitur in Eccleſia s. Petri ad Vincula, cujus cana coma, & promiſſa barba grandævum illum oſtendunt.

[b] Qui Bonarotæ cauſam defendendam ſuſceperunt, veluti Georgius Vaſarius in vita ipſius pag.722. ajunt, omnes fœminas, quæ cum viris minime concumbunt, ſerius admodum

ad

da nimium ætas videatur Salvatoris, quem ille in Judicio stantem fecit. Et dubitari poterat, num in Judicii ejusdem imagine Sanctorum ora fieri debeant in medio ætatis robore, quales vere erunt. Sed dicent fortasse Pictores, non esse suæ artis hujusmodi quæstiones, & licere sibi effigies imitari, quæ ætatibus variis confectæ, receptæ fuerunt.

DE CAMPO.

CAPUT IX.

AD veritatem etiam historiæ pertinet disponi ita, præpararique Campum, ut ad historiam, quæ erit depingenda, congruat. Videmus interdum Urbes, & Flumina, & Hortos ex longinquo, sive propinquo, volucresque, & monstra, & Equos, & Canes absque causa, rationeque ulla, itaut nihil fieri absurdius possit. Attamen generis hujus cautio illa debet esse; ne rigide nimium, & severe in eo agatur, sicuti nostra ætate egit olim quidam. Fecerat summus ille Artificum Ticianus venerabundos ad Christi incunabula Magos Cardinalis Ferrariensis jussu, qui tabulam eam Francisco Galliæ Regi dono parabat. Sed mortuo postea Cardinale accidit, ut ea tabula, & pictura non exportaretur extra Italiam; at-

Ticiani Magorum Tabula.

que

ad senectam vergere. Verum, qui propius simulacrum illud, attentiusque inspicient, aperte videbunt Mariam Virginem non omnino juvenem effictam esse.

que ita ad Divi Caroli manus pervenit, quam postea nos emptam in Bibliothecæ Ambrosianæ ædibus collocavimus ornandæ Academiæ, & Scholæ, quæ nuper ad Artes istas excolendas a nobis fundata est. Fuerat in ima hujus parte tabulæ, & angulo catellus unus tanto artificio, & venustate, quanta coloribus, & penicillo assequi quisquam posset. Eam ibi jacentem bestiolam torvus, rigidusque homo ex Cardinalis ipsius familia, tolli, ac deleri repente jussit uno verbo, atque ita miraculum illud artis est amissum. Atque poterat in ea tabula locus esse bestiolæ huic, cum in numeroso equorum, & Camelorum grege, multoque Regum illorum famulatu pulcherrime staret. Id torvi hominis imperium, & factum non potuit ita celari, quin statim evulgaretur, indeque crebræ eorum querelæ sunt auditæ, qui cum tabulam antea conspexissent, rem illam, figuramque eximiam desiderabant, & Ticianus ipse re sicuti acciderat cognita, cum gemitu, & suspirio dixisse fertur, minime videri sibi mirum, quod delere figuram eam jussissent homines ignari artis. Cæterum, in ipsa descriptione Campi magnopere reprehendenda est inscitia eorum, qui pingendæ rei accessiones illustriore loco ponunt, rem vero ipsam, & negotii caput abdunt, occultantque. Cum enim pingere velint Divum Johannem in solitudine, sanctum ipsum in angulo aliquo faciunt obscuro, & humili, Campum vero ipsum animalibus,

Rigidi hominis imperium.

Ticiani gemitus, & suspirium.

bus, & plantis, & scopulis, varioque prospectu distinguunt. Longe commodius fuerat, faciem eam, atque varietatem in tabula fieri alia, atque sacram hanc, divinamque tabulam imagini ei reservari totam, cujus caussa instituta erat. Longe vero gravius flagitium est eorum, qui cum tabulam aliquam publice in Templo proponendam pingere instituerint, illustriorem ejus partem fœdant, muliercula aliqua depicta lasciva, eique impuræ imagini plurimum adlaborant, præter omnem historiæ necessitatem, quæ si tamen necessitas fuisset, abstinendum imagine illa erat. Itaque non laudaverim nudam in ejusmodi Pictura Susannam, etiamsi historia nuditatem eam admittat. Simul reprehenderim eos, qui pingendo Deiparæ Virginis exortum, rem quidem eam divinam raptim, negligenterque faciunt, domesticam vero supellectilem illius familiæ ostentant arte summa. Id fieri credo non tam, quia desit ejusmodi hominibus pietas, & religio, quam quia ars ipsa desit. Quod enim difficillimum erat, omittunt, levissima vero, ceu pannum, vasa, partemve aliquam Babylonici operis, omni conatu elaborant; quæ res apud vulgus imperitum, non autem apud doctos admirationem habent. Novimus ipsi Virum unum nobilem, qui in prædicanda tabula unius excellentia, quam domi habebat, rogavit omnes, qui aderant, ut considerarent quemadmodum singulos in nudo crure numerari pilos lice-

Pictorum peccata.

liceret. Ita nimirum suam, & Pictoris inscitiam ille prædicavit. Et placent ista multitudini, quæ deterrima ferme sequitur. Atque affluentibus ad ista spectanda populis, fit ferme id, quod Archelao Macedonum Regi accidisse traditur. Cum enim Regiam suam ille Zeusidi Heracleotæ pingendam locasset, egregieque Artificis illius manu opus esset absolutum, veniebant undique in Macedoniam homines visendi ejus operis studio, cum interea Regem videre ipsum nullus eorum curaret. Ita ignarum vulgus in Pictoris hujusmodi vitia tantum spectat, artem vero ipsam, & si quid præclare factum est, minime advertit. *Regia Archelai.*

QUAM DIFFICILE SIT EXPRIMERE AFFECTUS ANIMI.

CAPUT X.

SEmper ego animadverti esse hoc naturæ nostræ vitium, ut ardua, licet pulcherrima diffugiat, prona eadem ad pulchra minus, quippe quæ facilia magis. Eo naturali instinctu, & humanæ mentis vitio factum est, ut cum vetustissimi, præstantissimique Artifices plurimum studii ponerent in fingendis capitibus, recentiores nostri, parte ea omissa, omnem in partibus, membrisque aliis industriam consumere assueverint. Atque etiam omissa proportione corporum, & dimensione, nonnulli eorum circa

ca vestes, & corporis ornatum omnem consumpsere curam. Michael tamen Angelus, cum antiquos etiam superasset in faciendis pedibus, æquavit eosdem in omni reliqua arte. At recentiores isti, quos nunc arguo, vitant difficillima quæque, & præstantissima, speciesque tantummodo inanes, & vanas sequuntur. Tanta circa animi affectus cura veteribus fuit, ut Callistratus ille, quem antea Picturæ Magistrum nominavi, in describenda Satyri unius figura, sic scribat. In marmore eo insitum, atque expressum carni affectum plaudentis ad Tibiarum concentus, itaut intumescentes cerni venas liceret, ductumque ab imo pectore spiritum, pugnantemque cum veritate ipsa lapidem, & anhelitum ex labore. Ejus Satyri membra minime fluebant deliciis, sed valida, robustaque cernebantur, ut rigor, asperitasque vultus formam ejus Satyri virilem indicaret. Explicat porro ejus figuræ rationem Callistratus cum dicat, aliam debere esse faciem Virginis alicujus, aliam Satyri, quem Montes, & Silvæ efferarint; ac pergens deinde cœperat Callistratus ipse in statuæ ejus descriptione docere, quantopere sit Pictoribus laborandum in parte ea, quæ hodie negligitur. Ac referam ex Plinio id, quod Artifices nostros aliqua ex parte erudire deberet. Narrat itaque ille, statuam Paridis, quam fecit Euphranor, fuisse ejusmodi, ut tres simul affectus, sive personas exhiberet, Judicem nempe trium Dearum, &

Satyri figura.

Paridis statua.

Lib. 34. c. 8.

Ama-

Amatorem, & iratum, interfectoremque Achillis. Magnopere ego cuperem, ut locus, exemplumque istud semper esset Artificibus nostris ante oculos, identidemque considerarent, tanti quemque esse Oratorem, quantum ille apte ad persuadendum dicere possit. Sic nimirum etiam ars ipsa Pictorum, haud ob aliam rem principio instituta fuit, quam ut aliquis in humano pectore motus per eam excitaretur. Idque ita etiam esse debuit. Nam sicuti dixerat Oratorum olim aliquis, nullum est animal excepto homine, quod pulchritudinem, & elegantiam, convenientiamque partium intelligere possit, ideoque rerum earum judicium proprium hominis ipsius esse. Atque ideo natura insitum est homini studium videndi, & cognoscendi ea, quæ ad ipsum pertineant in proportione, dispositioneque partium, vultque propterea videre, contemplarique varios suæ mentis affectus, qui proprii ipsius sunt. Atqui tantum hoc, tamque præcipuum artis munus Statuarii, Pictoresque nostri ne respicere quidem videntur, ac si quando respexere, tentavereque in eo genere aliquid, absurdi, ineptique reperiuntur, sicuti demonstrabimus, affectusque ostendere volunt eos, qui minime decent, veluti cum afflictam Crucis adspectu & vicinitate Deiparam plenumque doloris eum vultum toto artis conatu facere nescii, confugiunt eo, ut exanimem pingant; id, quod & facile factu erat, & auctoritati Patrum adver-

M. Tull. lib. 1. de Offic.

versabatur. Cæterosque Sanctos etiam fecere nonnulli cum affectibus iis, qui indecori sanctitati eorum erant, atque in eo turpissime contra Sacrarum litterarum auctoritatem, consuetudinemque peccatum est. Nam Sacri Scriptores extulere laudibus virtutes, & merita Sanctorum, isti vero ostentant, affinguntque vitia Sanctis, quæ numquam illi habuere. Quod si inepti isti non poterant virtutum exprimere figuras, debebant saltem imitari Græci Artificis solertiam, qui vitium oculorum in pictura apparere sua nolens, texit illud, atque occultavit. Scilicet debuerant etiam isti non facere quod fieri ab se posse diffidebant, potiusque latere cum silentio, quam probris onerare illis, quæ probra conflant ipsi sibi penicillorum suorum linguis. Velim igitur ego Artifices nostros, aut magnopere elaborare in eo, ut exprimere affectus possint, aut si ita assequi non potuere, fateri utique conatum ejus rei, & dolorem aliquo modo, sicuti priscus ille fecit, qui paternos in filiæ nece sensus effingere se posse diffidens, velavit Agamemnonis caput. Atque pars demum ista plurimas, maximasque utilitates habebit. Cultus enim erga Deum, & Sanctos, laudesque, & imitatio, & metus, & dolor, & spes, nihil sunt aliud, quam affectus animi, sive motus, quos Sacræ imagines efficiunt, quæ tunc spirantes, & vivæ appellabuntur, cum nostras mentes excitabunt, & eas, spiritu, & vita

Græci Pictoris solertia.

quà-

quadam ciere poterunt, sicut in Synodo Nicæna secunda evenisse proditum est. In ejus namque Synodi Actione quarta scriptum extat, cum diu de imaginum utilitate, & usu disputatum esset, Gregorii Theologi testimonium fuisse allatum, referentis Adolescentem quendam protervum asciviſſe ad se mulierem inhonestam, quæ simulatque destinatum flagitio cubiculum intravit, defixit illa illico oculos in imaginem Polemonis Philosophi, quæ picta ibi erat. Qua in imagine, & pictura cum Philosophi ejus mores, gravitatemque mirifice coloribus expressam intueretur, repente adspectu eo fuit permota, quasi venerandum eum, castissimumque hominem ante oculos haberet. Ita revocasse animum ab concepta libidine, neque verborum ultra quidquam auribus admittere voluisse, retroque unde venerat, convertisse gradum. Patres narratione hac audita, consensisse, ac decrevisse imagines esse admittendas, ut quæ vim tantam haberent. Quam recte igitur, & fructuose collocarent Artifices nostri studium, operamque suam, si in exprimendo affectu summopere laborarent. Sed aliquis fortasse dixerit, nescium se esse exprimendis affectibus, imparemque muneri huic. Inepta sane excusatio, quam Speronius vir gravis, prudensque numquam admisisset. Vir iste Apollinem, qui Romæ in Vaticano est, Laocoonti anteferebat, ideo quia diceret, facilius fuisse Artifici exprimere dolorem, sive plures simul dolo-

Lib. Carm. Jambic.

Polemonis imago.

Pictorum inepta excusatio.

dolores, quam hilarem, amœnamque vivacitatem. Dixerat autem hoc Speronius, sequutus nimirum rationem eam, quod animi humani habitus certis interdum, apertisque signis ita sese prodat, ac manifestet, ut nudus pæne conspiciatur, sed idem interdum velis, involucrisque multis tectus, fugiat corporis oculos, tantumque mente, & imaginatione conspiciatur. Neque enim audaciam, & celeritatem, & spiritus ingenuos, & venustatem, ac dignitatem aliter, quam imaginando conspexeris. Verum refugiunt Pictores ab hujusmodi negotio, neque luctari cum hisce difficultatibus volunt. De qua Artificum inscitia dici posse arbitror id, quod Paulus Jovius in quosdam sui temporis Artifices satis lepide conjecit. Aptos nimirum esse pingendo Medico fortasse cuidam, sive Doctori, propterea quod ea figura bis movendo penicillum, absolvatur, si ductu uno barbam oblongam, altero togam ostenderint. Verum nisi nervos in affectu exprimendo omnes contenderint, numquam satisfacere poterunt sanctioribus bonorum oculis, numquamve præstiterint id, quod Magnus Basilius alta sua mente exoptaret. Is cum celebre Barlaami Martyrium voce, gestuque depingere conatus fuisset, excitat in idipsum Pictorum artem, atque ita Artifices affatur. Vos nunc apello, & obsecro, generosissimarum pugnarum Pictores. Absolvite truncam hanc imaginem ejus inclyti Ducis, quam inchoa-

Jovii lepidum dictum.

Basilii hortatio ad Pictores.

inchoatam, atque imperfectam ante oculos vestros ego collocavi. Illustrate imaginem hanc arte vestra, quodque obscure a nobis adumbratum est, id ipsum quaeso, vos absolvite. Fulgeat imago ista coloribus vestris, & Athletam, quem ego coronare volui, vos nunc melius coronate penicillo. Discedam ex hoc loco victus artis vestrae excellentia, & subtilitate, cui succubuisse gloria, & voluptas mihi erit, victoriaque vestra gestiam ipse, & exultabo. Jam nunc cerno luctam Athletae hujus, vimque manuum ejus, lacertosque, & toros, & vigorem animi, & bellatoris hujus virtutem, expressa cuncta coloribus vestris magis ad vivum, quam nostris effici sermonibus potuerit. Ingemiscant nunc Daemones, & ad Martyris triumphum confusi dilabantur, & victrices illas manus rursus videant.

PIETATEM PICTORI IN PRIMIS ESSE NECESSARIAM.

CAPUT XI.

Colores sunt verborum instar, qui percepti oculorum sensu, non minus descendunt in animum, quam ipsae perceptae auribus voces, ipsaque rerum pingendarum prima deformatio locum obtinet fere sententiarum, & argumentorum. Inde fit, ut hunc Picturae sermonem, & alloquium vulgus etiam, & multitudo imperita intelligat, nihilo leviore tamen ob

ob id ipsum auctoritate apud prudentes, ut recte dixerit Gregorius Nyssenus, picturam loqui tacentem, & ejus beneficio, sacras ædes prata florida fieri. Ac sicuti ad Oratoris munus plurimi refert, ea, quæ dicuntur, enunciari cum affectu, & vigore, qui movere animos possit, ita magnum picturæ opus erit, si colores, & lineamenta erunt ejusmodi, ut inferant animo pios sensus, metumque, & dolorem quotiescumque res postulabit. Atque ut ad similitudinem eamdem cuncta dirigantur, dici potest etiam, studium illud, solertiamque Pictorum, qua cupiunt imagines suas in bono collocari lumine, quo facilius præstantia artis intelligatur, simile quiddam esse ei Oratorum artificio, quo tum voce, tum gestu, tum actione, motuque corporis omni dictionem suam ornare, & admovere sensibus audientium conantur. Quin etiam sicuti vanus est Oratoris conatus ad permovendos aliorum animos, nisi suum ipse animum moverit prius, ita Pictoribus cunctis evenire arbitror, ut nisi ipsi prius pium aliquem animi sui motum excitare conati fuerint, nequeant postea operibus dare suis id, quod sibi deest, pietatem nempe, & laudabiles animi sensus [a]. Atque veteribus illis, quorum tanta laus in affectu fuit, plane evenisse arbitror id ipsum, quod profanis Poetis accidisse pro-

In Orat. Mart. Theodori.

certo.

[a] Saxoferratus dictus, nonnisi sacras pingebat imagines, ac prius quam ad eas pingendas adgrederetur, divina se synaxi reficiebat, animumque ad pietatem componebat suum.

certo habemus, ut nimirum optima quæque Carmina eorum, non solum ab artificio, sed etiam ab motibus animi manaverint; qui nempe motus elicuere sensus eos, quos numquam diuturna meditatio, studiumve attulisset. Hinc scilicet nobilis querela unius expostulantis in præcipiti ætate non fluere sibi versus eos, quos fundere solitus esset, cum sanguine meliori turgerent venæ; Poetisque illis mos fuerat excitandi affectus causa, peragrare nemora, & valles, & montes, & littora, dum istos animi impetus quærunt, ac venantur. Ad antra profecto ipsa, specusque obscuros ob eam rem ibant, sicuti de Tragico Euripide proditum est, qui cætera domicilia nimium sibi læta existimans, abdidit se in speluncam, ut mœstitiam ibi, timoresque varios, & solicitudinum formas, & casus atroces colligeret. At celeberrimi Sculptorum parcissimo victu, inædiaque diuturna præparabant animum suum, quo magis affectibus istis implerentur. Neque dubitem ego affirmare, tres illos Artifices, qui celebratum illum tantopere Laocoontam fecere, ejusque dolores expressere, nullo alio, quam lupinorum cibatu, sicuti Tragœdiarum Auctores, esse sustentatos; quam duram alimoniam inter magnorum operum instrumenta adhibitam fuisse Plinius refert. Nimirum intelligebant, abstinentiam, & jejunia finitima esse lacrimis, & doloribus, sicuti largæ epulæ sociæ risus essent. In octava etiam Oecumeni-

Gell. lib. 15. c. 20.

Lib. 33. c. 1.

Act.10.can.7. ca Synodo locus est unus, quo loco statuitur, atque decernitur, ne damnati Ecclesiæ auctoritate homines, prohibitique communione sacrorum ad pingendas imagines sacras adhibeantur. Idque decretum cum facerent Patres, duplici causa, & ratione fuisse adductos, credibile est, vel quia contaminati homines non deberent contrectare res divinas, indignique ministerio tali essent, vel quia cooperti vitiis, & inquinati sordibus, nullo modo posse viderentur imaginibus illis adjungere pietatem, & religionem, quam ipsi non haberent. Tulit vero Civitas nostra Artificem unum, tum artis suæ excellentia, tum pietate etiam, modestiaque animi clarum, & magnopere laudatum. Annibal is fuit Fontana notus homo nobis, taciturnus, & solitarius quidem, & mansueti moris, valdeque arti deditus, & intentus, liberalitate, & munificentia quadam suæ artis non erga Principes, hominesve alios præditus, sicut interdum aliqui, sed erga Deum ipsum, uti is solitus fuit, offerendo scilicet ei velut Artifici summo, bonorumque omnium Auctori tributa, quibus ipsum adoraret. Nam ubi statuam aliquam absolverat, justam operis sui mercedem exigebat, ut sibi simul, & arti, & labori honos esset. Inde per aliquot dies honeste delectatus felicitate sua, præmioque laboris, & ingenii, bonam aliquam ejus pretii partem tacitus, occultusque portabat ad Aram eandem, unde totum accepisset. De Michaele autem

Annibal Fontana.

Michael Angelus.

autem Angelo narravit mihi, qui se interfuisse ajebat, cum ille natura mitis in pauperes, obvium, supplicemque mendicum, quia nihil, quod dare posset, ad manum habebat, duceret in tabernam aliquam aromatariam, petitoque ibi atramentario, & plagula aliqua papyracea, veluti scripturus aliquid, ductis raptim lineis, caput repente unum formaret, traderetque mendico cum verbis hujusmodi. Ostendes Pictoribus istud; non enim emere recusabunt, pretiumque accipies. Generosa sane indicia Christianæ pietatis, & divinæ Majestati debita tributa non tam operum, & laboris, quam laudis, & gloriæ, qua cæteros suæ artis homines præstabat.

DE CORPORIBUS ATHLETICIS.

CAPUT XII.

SED quomodo tandem poterunt Artifices nostri pietatem exprimere, & assequi hanc, cum plane degeneres, & diversi ab veterum illorum institutis, nullam in eo curam ponant, ut imagines suas timore, metuque, & majestate, religioneve aliqua animare conentur, prout mysterii natura requirat? Potius autem ipsi tam mollia, & delicata simulacra virilis sexus faciunt, ut pro feminis accipi possint. Artificium tam in pictura, quam in scriptis, & aliis plerisque rebus hactenus amari oportet,

 si na-

ſi naturæ ipſius effigiem non tollat. Neque tantopere ſtudendum eſt elegantiæ, & pulchritudini, ut exprimendæ ſimilitudinis cura negligatur, quæ ſicuti primum locum in effigie vultus tenet, ita in corporibus, imaginibuſque reliquis cuſtodienda eſt. Narrat Theodorus Artificem quemdam impudentem, cum depingere Salvatorem vellet, feciſſe Jovem, ideoque manum illam impuram ſubito exaruiſſe. Cæterum iſti ad extremum declinando aliud, corpora nonnumquam faciunt adeo robuſta, & toroſa, quaſi non Sanctos, aut Sanctas, ſed Athletas aliquos pingerent, vultuſque faciunt adeo truces, & ſævos, ut quidlibet aliud, quam pietatem ſpirent. Nonnulli rurſus ſingulas corporis partes, articuloſque, & flexus, & compages ita oſtentant, quaſi tabulas anatomicas ſanandis vulneribus, non quaſi incitamenta religionis exhibere vellent. Addunt vero corporibus iſtis eam in motu, ſpirituque violentiam, atque contentionem, quæ militare etiam corpus dedeceret. Unde tanta ſpectantium oculis, animiſque offenſio oritur, ut ſimile quiddam patiantur, quod Theatri ſpectatores olim pati ſoliti erant, cum ſcilicet illo luctantium adſpectu fatigati, & fracti, domum redirent. Cum autem Sancti omnes abſtinentiſſime vixerint, non decet fieri vultus eorum adeo nitidos, & pingues, veluti ſi in caupona nutritus aliquis pingeretur. Quam culpam Michael Angelus non vitavit Principi Apoſtolorum ruborem in facie

Collect. lib. 1.

Pictorum ineptia.

Theatri ſpectatores.

facie nimium adspergens. Retulere ætatis ejus homines eum voluisse quidem effugere reprehensiones ejus rei quotidianas, cum ita diceret, erubescere Apostolum ob temporum eorum conditionem, quæ sane Catholicæ Fidei rebus miserrima erat. Sed admitti non debuit ejusmodi dictum, cum minime deceat, dum tua defendas, perstringere multorum vitam, & mores. Debuit autem summus ille Magister corrigere suæ artis vitia, non Aulæ Romanæ statum. Magnam igitur Artificum esse curam oportet in eo, ut vitia ista devitent, ne scilicet incidant in id ipsum, in quo Lysippus ignobiles ante se statuarios accusabat, cum diceret, eos in faciendis simulacris, respicere solitos ora, & vultus hominum, quos vivos ante oculos haberent, cum respici potius oporteret convenientiam, & decorem, & qualem esse cujusque figuram deceret, ajebatque legem, & normam artis sibi esse hanc. At recentiores Pictores neque imagines repræsentant quales fuere, neque quales esse deberent. *Plin. lib. 34. cap. 8.*

DE FIGURIS LASCIVIS.

Caput XIII.

AC nisi viderem ego, tempora hæc nostra commodiora facta esse prioribus sæculis, vellem utique periculum facere, num retusum hunc stylum acuere possemus in eos, qui ornare

nare cubicula amant ſtatuis, imaginibuſque libidinoſis, eaque Dæmonum inventa cupidiſſime ſectantur. Nam quaſi fœda, & marcida perditorum hominum mortalitas parum alte, parumque firmiter inſitas habeat fibras impuræ libidinis, ita fovere, & alere eas amant, ac veluti ſcitamentis quibuſdam, ut dixerat apte aliquis, excitare famem volunt. Verum ego minorem culpam impietatis tribuerim talium imaginum emptoribus, quam iis, qui eas venditant. Hi ſcilicet illecti ſordida cupidine quæſtus, multo etiam fædiora facere, ſive fabricare parati eſſent, cum emptores alioqui intellecta demum pernicie iſta, & damno, & ignominia, negligant turpiſſima iſta opera, & occultent, ne ſacramentorum uſu, & communione prohibeantur, ſi perpetua ſic præbeant alimenta vitiis, ipſique peccandi occaſiones emant. Tales autem Artificum inſanias, omiſſa longa oratione, ſatis arguerit unius profani Scriptoris locus: Refert Lampridius in vita Severi Imperatoris, Principem eum in Larario ſuo (ea penetralia ædium erant, deſtinata Penatibus) collatas habuiſſe imagines eorum, quorum ipſe gloriam, ſive ſanctitatem maxime admiraretur. Inter eas fuiſſe imagines, Apollonium, & Chriſtum, & Abrahamum, & Orpheum, & pleroſque alios, quos ipſe haberet in Deorum numero. In Larario altero, obſcuriore ſcilicet, & ignobiliore, Virgilii fuiſſe imaginem, & Ciceronis. At Catholica ſoboles,

Lararium Severi Imperatoris.

boles, discipulique Salvatoris, Cupidines, & Veneres nudas statuere sibi ante oculos volent? O scelus! Non Ecclesiastica solum auctoritate, sed Imperii etiam alterius nutu, potentiaque coercendum, ut sordes istæ procul ab hominum cœtu removeantur. Sane multa Patrum cura fuit adversus corruptelas ejusmodi, neque decretorum finis contra deformitatem eam. In Concilio Trullano, quod sub Sergio Primo; capite centesimo; in Concilio Senonensi, quod sub Clemente Septimo celebratum fuit, capite quadragesimo, damnantur imagines lascivæ, vitanturque templis inferri simulacra historiarum inanium. In Synodo item Augustensi, quæ sub Paulo Tertio habita est, capite vigesimo octavo, decretum extat non solum adversus impuras imagines, sed etiam adversus eas, quæ infamiam alicui, dedecusque afferre possint. At Concilium Moguntinum sub eodem Paulo Tertio habitum, non solum lascivas damnat imagines, sed damnat etiam, si quæ vel in artis tantummodo experimentum, ostentationemque factæ essent, vel absque summa modestia exprimerent aliquid, vel molle nimium, & delicatum affluensque deliciis, quod a Christiana pietate abhorreret. Flagitiumque etiam tollere aliud Principes deberent, quo nobilissima ars læditur, ac violatur. Nam cum antiquitas ipsa statuas, tabulasque mirifici operis Diis suis inanibus sacraverit, largeque donarit, nos sacrata jam, & donata Templis hujusmodi

opera auferre inde, vel in profanos vertere usus audemus. Quod qui faciunt viri potentes, possunt ipsi quidem Imperio, potentiaque sua vim cohibere Populi reclamantis adversus eas Numinis, & Patriæ injurias, auferreque sua ornamenta Templis, sed non poterunt certe aures obstruere suas, quo minus lamenta, & querelas Civitatum ipsarum ob eam rem exaudiant, nullaque umquam diligentia, nullisve opibus fiet: scilicet ne violentissimus quidem Cæsarum fingere se surdum potuit adversus ejusmodi querelas; id quod Plinii locus declarat, quo
Lib.34.c.8. de Lysippi operibus Scriptor ille agit, estque locus ejusmodi; *Plurima ex omnibus signa fecit, ut diximus, fœcundissimæ artis, inter quæ distringentem se, quem M. Agrippa ante thermas suas dicavit, mire gratum Tiberio Principi: qui non quivit temperare sibi in eo, quanquam imperiosus sui inter initia principatus, transtulitque in cubiculum, alio ibi signo substituto: cum quidem tanta Populi Romani contumacia fuit, ut magnis theatri clamoribus reponi Apoxyomenon flagitaverit, Princepsque, quanquam adamatum, reposuerit.*

DE

LIBER SECUNDUS.

DE FIGURA SS. TRINITATIS[a].

CAPUT I.

NON poterit hæc noſtra cura complecti ſecundo hoc libro divina omnia myſteria ſingulatim, ſicuti fortaſſe Pictoribus neceſſe eſſet iis, qui myſteriorum ejuſmodi plane expertes ſunt. Præcipua tantummodo quædam attingemus, inſtruemuſque quibuſdam ejuſmodi monitis, quæ ipſa ſimilitudinis, & exempli luce, poſſint ad alia documento eſſe. Cumque minime fieri poſſit, ut unico volumine comprehendantur omnia myſteria noſtræ ſalutis, rerumque aliarum ſanctarum, quæ in pictura cadunt, videntur mihi pictores, & ſculptores non debere eſſe alieni ab litterarum ſtudio, potiuſque laborandum eſſe iis, ut litteraturæ aliquid adipiſcantur, & quidem ſacræ magis, quam profanæ, cum pars ea utilior eſſe queat. Quantopere autem deceat pictorem, ſive ſtatuarium expolitum eſſe

[a] Qui ſint in pingenda Trinitate ab artificibus errores vitandi, cuique canoni, ſive regulæ innitendum, docuit egregie BENEDICTUS XIV. in epiſtola ad Epiſcopum Auguſtanum, quam obſervationibus ſuis inepte vellicavit Chriſtianus Erneſtus Windheim, quamque egregie propugnavit V.C. Lud. Ant. Muratorius in Apologia ejuſdem epiſtolæ. Videnda eſt etiam Diſſert. Theologica *De eo quod licitum eſt circa picturam imaginum Ss. Trinitatis*, edita Tubingæ 1746. auctore Jo. Philippo Eſſich.

ſe litteris, vir ille artium harum ſummus Michael Angelus docere poteſt exemplo ſuo. Legebat enim ille multum, ſcribebatque etiam, & carminum ejus volumen extat ad Dantis poetæ ſimilitudinem, quæ carmina ſcribere non potuiſſet, niſi adamaſſet litterarum ſtudia.

Michaelis Angeli carmina.

Prima perſona Trinitatis.

Si perſonam æterni Patris facere volens pictor, exhiberet veneranda canicie ſenem, procerumque, & dimiſſa in pectus barba, picturaque tali divinam illam perſonam ad vivum expreſſam eſſe arbitraretur, exiſtimans ſcilicet Patri æterno corpus in cælo aliquod eſſe ſimile noſtræ huic carni, is non ſolum vituperatione, & irriſu, ſed etiam ſupplicio dignus eſſet. Non tamen damnanda eſſet figura ejuſmodi, poſſeque Patrem æternum humani corporis ſimilitudine repræſentari, declarat id ipſum, quod perſona eadem excelſa, & prima Divinitatis Adamo ſeſe ſub oculos in colloquium dedit. Ita enim in Geneſi eſt, Deique nomine Pater ibi æternus deſignatur. Danieli etiam figura ſeſe humana obtulit, deſignans Deum, & fortaſſe fuit ſecunda Perſona Trinitatis, quæ ſub ea figura apparebat, ut humano generi ſignum aliquod daretur ejus rei, quæ redemptionis noſtræ cauſa propediem futura erat. Spiritus quoque Sanctus tum columbæ ſpecie, tum igneæ linguæ figura ſpectatus fuit, neque juſta reprehenſione notandus erit, ſi quis ita pingat. Sunt enim apud Paulinum etiam hæc verba.

Secunda.

Tertia.

Epiſt. 12.

Pleno

Pleno coruscat Trinitas mysterio,
Stat Christus agno, vox Patris cælo tonat,
Et per Columbam Spiritus Sanctus fluit.

Et præter eas, quas paulo post afferemus, rationes, & auctoritates, sacræ passim litteræ attribuunt humana membra Deo, cui, sicuti nos docent sacri Scriptores, scimus, non esse corpus, sed translata hæc, metaphoricosque sermones esse, quorum occulti sensus sunt, & valde diversi ab eo sensu, quem prima fronte præferunt. Accedit eo Patrum auctoritas, qui Trinitatis imaginem, similitudine, sive proportione quadam pingi sic posse, affirmant. Quod si apparitionem hujus mysterii aliquam pingi contingat, poterit sane depingi ad eamdem formam. Figura siquidem illa ideo instituitur, ut monstret id, quod aliquando spectatum fuit. Ac sicuti credibile, consentaneumque est, sanctum Paulum imaginem vidisse Salvatoris, tunc cum ab eo objurgatus fuerit, sanctumque Stephanum speciem vidisse eandem, tunc cum ipse confirmaretur, ita pleræque aliæ visiones, tum Patris æterni, tum Sancti Spiritus imaginem monstravere, ita tamen, ut credi liceat, sanctum Paulum, & sanctum Stephanum personam vidisse Salvatoris assumpta humanitate gloriosam, & fulgentem, personam vero Patris æterni, & Spiritus Sancti, vel corpore aliquo assumpto, vel humanæ mentis imaginatione esse manifestatam. Quod autem ad secundæ personæ manifestationem spectat, scien-

Dionysius Areop.
Eucherius Lugdun. Episcop. lib. de form. spiritualis intellig. in tom. 4. oper D. Augustini.
Cajet. 3. parte, qu. 25. art. 3. in resp. ad 1. D. Thomæ.

Irenæus lib. 4. contra Hæreses cap. 16. Clemens Alex. lib. 1. Pædag. cap. 8. Tertull. con. Prax. cap. 16. Magister in primo, dist. 15. S. Thomas in prologo super Johan. S. Antoninus in Sum. p. 3. tit. 8. cap. 4. §. 11.

sciendum est, quosdam Patres censuisse, tunc cum in antiqua Lege Deus appareret, non Patris æterni, neque Spiritus Sancti, sed tantummodo Filii personam eam fuisse. Sic enim Irenæus, & Clemens Alexandrinus, & alii censuere. Et post eos, s. Antoninus monuit, quoties Trinitatis mysterium pingatur, omittendum esse deforme, monstruosumque illud, ut tria capita corpori uni addantur. Nam præterquamquod ab naturæ ordine figura ejusmodi abhorret, etiam vitanda est profanæ antiquitatis imitatio, quæ duos Jano vultus addebat, unum in fronte, in occipitio alterum.

DE SALVATORIS IMAGINE.

CAPUT II.

Videtur mihi antiquitas nostra in facienda Salvatoris imagine, magis pios quosdam adhibuisse sensus, quam quos artifices hodie nostri adhibeant. Nam Symbolo, sive Hieroglyphico ferme aliquo veteres illi utebantur, quo plus honoris mysterio esset. Itaque fecere aliquando Pelicanum, qui vulnerans sibi rostro

Pelicanus.

pectus, elicit sanguinem. Pinxere nonnunquam agni figura Salvatorem, diademaque, & vexil-

Agnus.

lum addidere, ut intelligeretur, agnum hunc esse illum occisum simul, & redivivum, qualis imago apud antiqua cœmeteria spectata est [a]. Ali-

[a] *V. Roma sotterranea* Tom. I. Tab. XXI. & XXII. Tom. 2. Tab. XCI. & CXIII.

Alicubi etiam pastorale pedum [a] addidere, ut intelligeretur officium, & munus, quod agnus iste sibi desumpsisset; suspendebantque ab ipso pedo, baculoque pastorali vas aliquod, ut spiritualia sic alimenta designarentur, quæ agnus ille cælestis assectarum suorum gregi exhiberet. Quodque antiquissimi moris fuerit, pingere Salvatorem agni [b] figura, quæ implicatam cruribus crucem haberet, rudi quidem, sed tamen illustri propter antiquitatem opere, declarat figura ejusmodi una, quæ cernitur in cœmeterio Novellæ, via Salaria juxta cæmeterium Thrasonis. Vidimus etiam pictum hominis figura Salvatorem, sublata in collum oviculа [c], talemque imaginem fuisse arbitramur eam, de qua apud Tertullianum mentio est, eaque imago in sacris calicibus [d] picta fuit. Nec in calicibus tantum picta fuit agni figura, sicuti Tertullianus idem tradit, ut sic indicaretur, reperisse Christum oviculam, quæ perierat, sed etiam Episcoporum pallia texebantur, hodieque texuntur, ex lana potius, quam ex lino, ut ovicula designetur eadem, amissa scilicet, & inventa, & in Salvatoris humeros sublata; quod

Salvator sub pastoris figura Lib. de Pudic. capit. 7. & 10.

Episcopi Pallium.

a Vide Tabul. XXVIII. Tom. 2. Romæ subter. & animadversiones ad eamdem Tabulam.

b Vide easdem Tabulas, & præcipue Tab. XCI. n. VI. & VII.

c Vide primum Tabulam XXXI. in eodem opere, cui titulus: *Sculture, e Pitture sacre estratte da' cimiteri di Roma*; dein Tabulam XXXVIII. & postea omnes ferme Tabulas Tomi 2.

d Vide Philippum Senatorem Bonarotam in libro, cui titulus: *Osservazioni sopra i vetri &c.*

quod officium erga greges suos imitari Pontifices debent, oviculasque sibi commissas ferre, ac sustentare. Mysterium autem hoc Pallii Archiepiscopalis ab Isidoro Pelusiota affertur. Et in antiqui operis monumento Pastor ille cernitur circumfusa ovicularum corona, quæ defixis in eum oculis, suaviter, & placide intuentur, itaut intelligere possis, gestire eas adspectu pastoris sui [a], eumque agnoscere, & venerari. Ita haud dubie mysterium pertinuit ad verba illa Evangelii, quibus suas oves pastor agnovit, & ipsæ vicissim pastorem suum agnovere. Habet porro figura eadem lacernam, sive mastrucam [b] pastoralem, ad indicandam sive paupertatem ipsius, sive medicinam, sive pabulum, & alimenta doctrinæ, quæ ipse animis hominum parabat. Etiam Romæ ex Vaticanæ ædis pavimento marmoream effodere pilam [c], in qua pastor expressus, altera manu baculum tenebat, altera permulcebat oviculam, quæ figura mansuetudinem, amabilitatemque Salvatoris indicabat, exomidemque [d] gestabat pastor ille, qua passim uti peregrinantes videmus. Apud cœmeteria quoque nonnulla, præsertimque Romæ in sancti Zepherini cœmeterio cer-

Lib. 1. in Epist.

Orphei figura.

a Vide Sarcophagum in Tab. XXXVIII. inferne delineatum, sed præcipue Tab. LXXVI.

b Seu penulam. V. Animadversiones easdem in easdem Tabulas.

c Quæ ære incisa est in Tab. XXVI. ejusdem Romæ subterraneæ Tom. I.

d Vulgo: *Sarrocchino*.

cernitur Orphei figura [a], stantis inter feras, quam utique figuram non fuisse Salvatoris imaginem, sive notam, possemus fortasse suspicari, nisi certissimis argumentis compertum haberemus, sacram utique eam imaginem esse, non profanam. Clemens Alexandrinus scriptum reliquit, Christum vere Orpheum nostrum esse, qui bestias agrestes mansuefecit; qui locus haud dubie imagini ei fidem, auctoritatemque facit. In iisdem etiam arenariis chryptis, sive cœmeteriis, & in marmoreis etiam tumulis expressa cernitur imago Jonæ [b], veluti projecta in pelagus, & ceti faucibus absorpta, cujus figuræ mysterio significabatur spes nostræ resurrectionis, simulque mors, & resurrectio Salvatoris. Estque hoc scitu dignum, quod imago illa Jonæ fugientis ab divino conspectu, non hederam, sed cucurbitam [c] depictam habet, quo frutice vocis Hebraicæ *Chicajon* sensus declaratur. In eodem sancti Zepherini cœmeterio picta cernitur imago Salvatoris sub pastoris figura, qui sedens in saxo [d], tenet manu fistulam, oviculasque circumfusas alloqui videtur. Sed omnium istarum imaginum pastoralium facta- rum

In Protr.

Jona imago.

Ion. 3. 6.

a Vide Tabul. LXIII. & LXXI. tom. 2. Rom. subt. Vide omnino animadversiones ad hujusmodi Tabulas.

b Vid. in eodem Opere tom. I. Tabul. XXXI. & tom. 2. Tab. LVI. LXV. LXXXI. LXXXIV. LXXXV. LXXXVI. LXXXVII. XCVII. CIII. CXVI. CXVIII. CXX. CXXII. CXXVII. ac in eas Tabulas animadversiones.

c Vide ibidem Tab. XXXVII. XLII. Tom. I. & animadversiones ad has Tabulas pag. 151. & 190.

d Expressus in Tab. LXXVII. ejusdem operis tom. 2.

rum ad designandum Salvatorem, nobilissima ea est, quæ in cœmeterio Ostriano reperta fuit. Ea in operis elegantissimi tabula sculpta erat, & tria continebat; pastorem[a] nempe unum innixum baculo, excubantem ad custodiam gregis; pastorem alium elato in humeros agno; pastorem tertium veluti cum ovicula una colloquentem, quæ ipsa capite obverso, captare sui pastoris vocem videbatur. Ita nimirum antiquitas tribus istis figuris Christi personam indicantibus, demonstrare voluit tria præcipua munera pastoris animarum. Ac præter Symbola, & figuras, antiquitas eadem fecit etiam sudaria, vultusque sanctos, & sacrum linteum, eique præcipuam sic haberi religionem, & honorem voluit, tum ob vetustatem ipsam, tum ob graves alias causas. Evagrius porro, quo loco de imagine Salvatoris agit ad Abagarum[b] missa, testatur divinitus eam non humana arte factam fuisse. Damascenus etiam in eadem est sententia, factam nimirum fuisse divinitus, idemque censet Anastasius Bibliothecarius in Stephano Tertio, & imaginem eam Salvatoris *Antheroposita* appellat, potiusque legendum est; *Acheroposita*, hoc est non manu factam, sicuti nonnul-

lib. 4. Hist. cap. 26.


Lib. 4. Fidei Orthod. c. 17.

Anno Christi 752.

a Quem videas in Tab. CLXIII. ejusdem operis tom. 3. qui sub prælo est, quique propediem in lucem prodibit. Animadvertendum tamen est, pastorem illum, quem tertium noster auctor appellat, minime colloqui cum ovicula; sed eam ad mulctam trahere.

a Hanc de imagine Christi ad Abgarum missa historiam multi rejiciunt, sed eam strenue asseruit P. Serry in Exercitat. 46. de Christo, ejusque Matre.

nulli interpretantur. Sed Nicephorus Callistus ait, veteres credidisse ipsos, quod artificis manu facta esset. *Lib. 2. Hist. cap. 7.* Verum quo tandem modo, quave arte facta fuerit, exquirere non est hujus loci. Illud quidem minime ambiguum est, quin illa ad vivum, summaque cura expressa fuerit. Ac præter imagines istas, quas mirificas, sive non sine miraculo factas appellabimus, pictor etiam aliquis ad vivum expressit imaginem Salvatoris, sicuti Eusebius testatur, aitque Nicephorus, sanctum Lucam[a] primum omnium fuisse, qui Christi, & Deiparæ Virginis imaginem accuratissime depingeret. *Euseb. Eccl. Hist. lib. 7. cap. 14.* *Niceph. Eccl. Hist. lib. 6. cap. 16.* Verba Nicephori sunt hujusmodi: *Ac Lucas quidem Apostolus primus ipsas accurate, opus id exorsus, manibus suis depinxit*. Pinxere porro majores nostri non personam tantummodo Salvatoris, sed nomen etiam modis quibusdam singularibus quales istæ fuerint notæ[b]
vel istæ illustriores



moremque hunc scribendi nomina, & designandi per notas, secuti postea Pontifices[c] observavere, quorum unusquisque sui nominis notam componebat, quæ passim, hodieque in sacris ædibus spectatur. Neque insignia gentilitia, quæ hodie vocantur *Arme*, olim in usu fuere, *Insignia gentilitia.*

a S. Lucam fuisse pictorem omnes melioris notæ critici pernegant, ac Simeonis Metaphrastis commentum agnoscunt; quamvis aliter sentiat Baronius ad ann. 726.

b De monogrammate Christi nomen indicante videnda omnino Dissertatio V. C. Dominici Georgii.

c Vide Franc. Ficoronii V. C. *Antiqua plumba* edita Rom.

tam apud ſacros, quam apud profanos. At nunc indigna facies eſt inſignium ejuſmodi ſtemmatum, quibus non ſacri ſolum parietes, ſed veſtes etiam ipſæ ſacræ fœdantur. Sanctorum quin etiam ipſorum nominibus, inſcriptionibuſque corruptela nuper eadem irrepſit, minime, ut arbitror, admittenda. Siquidem repudiata Sancti appellatione, hac voce paſſim Divi nuncupantur. Pro ſancto Sebaſtiano, ſanctove Laurentio, divum Laurentium, divumque Sebaſtianum ſcribunt, ſculpuntve, ſive incidunt, idque faciunt tamquam contaminandæ Latinæ linguæ religione, ac metu; quæ ſane lingua poterat abſque puerilibus hiſce ineptiis exerceri, ſi nihil aliud obſtaret. Vox iſta divorum, præterquamquod inanibus Diis, & Imperatoribus addi ſolita ſit, rectius erit in appellatione ſanctorum titulum cuſtodire eum, quo ceu proprio, & ſuo ſemper uſa eſt Eccleſia, ſanctumque Sebaſtianum, & ſanctum Laurentium ſimpliciter, & innoxie nuncupare. Ac ſicuti in ſanctiſſimæ Virginis imagine factum eſt, ita etiam effigiem Salvatoris ab Nicephoro expreſſam transferemus in hunc locum, idque in gratiam pictorum fiet. *Porro effigies formæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſicuti a veteribus accepimus, talis propemodum, quatenus eum craſſius verbis comprehendere licet, fuit. Egregio is, vividoque vultu fuit. Corporis ſtatura ad palmos prorſus ſeptem. Cæſariem habuit ſubflavam, ac non admodum denſam, leniter quodammodo ad criſpos*

Sancti nomen

Lib. 1. cap. 40.

crispos declinantem: supercilia nigra, non perinde inflexa. Ex oculis subflavescentibus mirifica prominebat gratia. Acres ii erant, & nasus longior. Barbæ capillus flavus, nec admodum demissus. Capitis porro capillos tulit prolixiores. Novacula enim in caput ejus non ascendit, neque manus aliqua hominis, præterquam matris, in tenera dumtaxat ætate ejus. Collum fuit sensim declive, ita ut non arduo, & extento nimium corporis statu esset. Porro tritici referens colorem, non rotundam, aut acutam habuit faciem, sed qualis matris ejus erat, paulum deorsum versum vergentem, ac modice rubicundam: gravitatem, atque prudentiam cum lenitate conjunctam, placabilitatemque iracundiæ expertem, præseferentem. Persimilis denique per omnia fuit divinæ, & immaculatæ suæ Genitrici. Ac hæc quidem hactenus. Pictores igitur in facienda Christi, & Deiparæ imagine memores esse velim rei unius; quam antiquitas universa credidit, Patresque tradidere, faciem nempe Salvatoris plurima Matris similitudine fuisse insignem, itaut sive Matrem, sive Filium quis intueretur, posset facile agnoscere, vel ex Matre Filium, vel ex Filio Matrem. Eamque similitudinem Dantes poeta spectatam fuisse in vultu Matris ait etiam, postquam Filius ad sedes æternas redierat, hisce carminibus;[a]

D 2 *In-*

[a] Carmina Dantis patrio ipsius sermone hæc sunt cant. 32. Parad.

Ri-

In Parad. cant. 32.

Intuere jam tandem faciem, quæ Christo
Simillima est, cujus sola claritas
Excitare te potest ad videndum Christum.

DE CRUCIFIXI IMAGINIBUS.

CAPUT III.

IN pingenda autem imagine Christi pendentis e Cruce, Christiani pictores multis modis variavere rem eam. Nam in monumentis antiquissimis alicubi picta Salvatoris imago est, velut absque spiritu. Alias spirantem adhuc; sæpe quatuor clavis confixum fecere, quæ figura magis placuit antiquitati, talisque una cernitur in sacello sancti Julii Papæ Primi ad Pontem Millium, non procul ab sancti Valentini martyris æde, vestisque ibi Salvatori injecta est, absque manicis. Alicubi etiam vetustissimæ Crucifixi imagines quatuor clavos ita dispositos habent, ut duo manus, duo pedes configant. Sed pedibus subjecta tabella est, in qua plantæ illæ sacrosanctæ quiescunt, & unamquamque clavus figit. Meminit tabellæ ejus Gregorius Turonensis, aitque subjectam eam fuisse Salvatori, & una confixam. Est autem Gregorius ille Turonensis fide dignus Scriptor ob

Lib. 1. cap. 6. de gloria Martyr.

Riguarda omai nella faccia, ch' a Cristo
Più s' assomiglia, che la sua chiarezza
Sola ci può disporre a veder Cristo.

ob antiquitatem, & diligentiam, qua res hujusmodi investigavit. Neque visiones, & revelationes aliquæ in diversum anteponi Scriptoris hujus auctoritati debent. Nam quomodo talia visa accipi oporteat, dictum alibi est. Extat etiam consentaneus auctoritati huic Irenæi locus, qui ostendit fulcimentum utique aliquod subjectum fuisse Salvatoris pedibus: *Ipse habitus Crucis fines, & summitates habet quinque, duos in longitudine, & duos in latitudine, & unum in medio, ubi requiescit, qui clavis affigitur*. Item alius Justini martyris: *Et quod in medio fixum est lignum, ut cornu, & ipsum eminet, in quo vehuntur, & insident, qui Crucis supplicium subeunt*. Tabellam autem ejusmodi in qualibet fuisse Cruce testatur marmorea una tabula, quæ hodie cernitur ad sancti Petri subterraneam ædem in ingressu ad lævam, qua in tabula Princeps Apostolorum sculptus est supinis in Cruce pedibus, & verso deorsum capite. Nam quia semper ad Crucem tabella ejusmodi adhibebatur, quo tempore Apostolus confixus est, ideo sculptor ille consuetudini temporum inserviens, eam addidit, etsi minime necessaria esset. Etiam existimavere nonnulli, manus Salvatoris nequaquam in palma vulneratas fuisse, sed qua brachium manui committitur; nam alioqui Salvatoris pondus non potuisset sustineri. Sed consuetudo communis, & Ecclesiæ Catholicæ mos custodiendus erit, neque novi quidquam afferendum.

Lib. 2. c. 42.

In Dialog. cum Trifone.

Johan. c. 20. 20. Nam etiam in Evangelio est, ostendisse Christum manus, & latus. Novitium vero artificum inventum est illud etiam, quo Latrones non confixi clavis, sed suspensi, ligatique vinculis spectantur, idque repugnat sacrarum litterarum auctoritati, cum diserte sanctus Matthæus crucifixos una cum Salvatore latrones *Cap. 23. 38.* dicat; suspensique sic, & ligati, non crucifixi fuissent. Ita sensere Chrysostomus, Augustinus, & Gregorius. Et latro bonus, auctoribus Hilario, & Augustino, ad dextram pingendus erit. De varia porro, & multiplici Crucis forma, cum fuse nuper, & copiose Scriptores duo[a] tradiderint, nihil attinet eorum dicta repetere. Tantum proponemus imaginem unam Crucis, quæ haud ita pridem in India Orientali juxta sancti Thomæ sepulcrum reperta fuit. Retulere qui viderunt, Crucem eam ita fuisse factam, ut in lilia, floresque desineret, eamque Crucem primis temporibus factam fuisse, credibile est; cum mysterio haud dubie illo, quasi ætatis ejus sancti homines significare vellent Christi Crucem ob martyrum triumphos, floridam[b], atque viridantem fuisse. Insidebat ei Cruci Columba. Crucis hujus imago alterius Crucis imaginem revocat mibi in memoriam, quam alicubi vidimus. Forma erat hujusmodi: pendebat e Cruce nudus umbelico tenus Salvator,

Hom. de Cruce, & Latrone.
Tract. 37. in Evang. Johan.
Lib. 18. Moral. c. 23.
Ad canon. 38. in Matth.
Tract. 31. in Evang. Johan.

a Nempe Jacobum Bosium, & Jacobum Gretserum innuit.

b De Cruce florida, & columbis ornata, vide Tab. XLIV. tom. 1. Romæ subterraneæ, & parergon pag. 118. ejusdem tomi, atque animadversiones in easdem picturas.

tor, subjecta pedibus tabella, quatuor adactis clavis, candicantibusque columbis, quacumque Salvatoris membra vacui spatii aliquid relinquebant, ad indicandam, sicuti ego arbitror, Salvatoris ipsius innocentiam, puritatemve animarum, quæ ipsum sequuntur. Neque enim columbæ tantum ipsæ, sed Pelicani filii etiam Christi fideles significant. Quos quidem Pelicani filios nequaquam facere vivos oportebit, ne inhiare videantur ad exsugendum paternum, maternumve sanguinem. Sic docet sanctus Augustinus, atque ita magis etiam similes redduntur fidelibus, quibus e Salvatoris sanguine nova vita obtigit. Tanta porro fuit Christianæ antiquitatis erga sacrum hoc signum pietas, & reverentia, ut neque humi, neque in sordido aliquo loco Signum pingi, collocarive illud vellent. Neque umquam alicubi adhibebatur ad sordes prohibendas, quod fieri non debet, ac ne fiat, Concilii Constantinopolitani auctoritate decretum est. Resque notatu digna ea est, quam de Cruce refert in hanc eamdem sententiam Gregorius Turonensis. Quin etiam sanctus Asterius Episcopus Amaseæ damnans superbas, luxuriosasque vestes, ait, non esse pingendas eas sanctarum, divinarumque rerum imaginibus, etiamsi pietatis causa id fieri videatur. Constantinus tamen Imperator, ut milites suos ad religionem, pietatemque incitaret, instituit, ur arma, & tela signo Crucis notarentur, idque sancte, & lau-

Psal. 101.

Can. 73.

Lib. 5. *de Hist. Franc.*

Sozom. lib. 1. *Eccl. Hist. cap.* 8.

laudabiliter ab Principe illo est factum. Quod autem in antiquis monumentis ansatæ Cruces repertæ fuerint, sciendum est, non veras eas fuisse Crucis notas, sed diversum quiddam in figuram forte eam adsimulatum, sicuti etiam aves in volatu, naviumque mali cum antennis non dissimile quiddam referunt, notasque eas copiose Justinus martyr Damascenus tractat, & alii recentiores. Et irridens Tertullianus inanium Deorum statuas, ait, superstitione Gentium agi eos in Crucem, dum ex luto, gypsove statuas, & simulacra illa construerent; fortuitasque etiam Crucis imagines arbitror fuisse eas, quæ apud Indos repertæ sunt. Neque enim credibile erat, Christianam Religionem olim illuc pervenisse. Debetur tamen eorum pietati laus, qui commentando, & excogitando, reperere imagines eas, qualis ætate nostra libellus in lucem prodiit; pietateque etiam eadem per hosce annos florem ex India unum attulere, qui sanctissimæ Christi passionis instrumenta mirifice refert.

Defensione pro Christianis ad Anton. *Rodig. lib. 6. cap. 8.* *In Apolog. cap. 12.*

DE MYSTERIIS SALVATORIS.

CAPUT IV.

INter errores alios, qui pene quotidiani sunt in mysteriis hisce pingendis, non minimus ille est, in quo artifices summopere elaborant. Namque in pingendo Salvatoris ortu faciunt athletica pastorum corpora, tam violentis, actuo-

Nativitas.

aꝛuosisque figuris, ut ab omni alia contemplatione oculos in se convertant. Deiparam vero ipsam, & natum Infantem minimo studio faciunt, totam ex eo gloriam quærentes, si pastorales illos humeros, & brachia extenta cum musculis, & toris ostendant. Ita sedentes eos, distorteque, & absurde collocatos exhibent absque motu, & actu corporis ullo, qui scintillam ullam inesse pietatis ostendat; jactandæque artis causa, contectis capitibus pastores, ad tantum illud mysterium collocant, ineptiæque interim artificum spectaculo sunt. Neque carent culpa in eo, dum tenentes reverentiæ causa manu pileum pastores eosdem faciunt. Non enim id moris antiquitati fuit, & nisi nudis capitibus incedebant homines, tegmine certe diverso utebantur. At in adoratione trium Regum misceri varios colores vultus notasse videor, quandamque simplicium fabulam, quasi natu minimus eorum Regum, sit repente factus natu maximus, ideo quia in officio illo adorationis antevertere cæteros conaretur. Ita pictores aliqui collocant ultimo loco seniorem. Circumcisio facta est in Bethlehemitica spelunca, sicuti Epiphanius affirmat, non autem in templo; parentumque ipsorum, & Matris interdum unius erat id circumcidendi munus. In ipsa autem Circumcisione [a] Salvatoris receptum jam commu-

Adoratio Regum.

Circumcisio.

Tom. 1. lib. 1. Hær. 20.

[a] Peccant pictores, qui ut plurimum parum modestiæ, ac honestati puellarum hanc historiam inspectantium coniu-lunt.

communi consuetudine morem minime esse immutandum censuerim, ut nimirum in Templo manuque Sacerdotis fiat. Nulla enim erat lex, quæ fieri sic, aliterve vetaret; sæpiusque extra Templi sedem per parentes ipsos fiebat. In depingenda tentatione ad solitudinem, minime alienum erit ab sacrarum Litterarum auctoritate quasdam circumdedisseSalvatori pecudes, idque potius auctoritati eidem consentaneum erit. Disputantem in Templo Salvatorem nequaquam in suggestu[a] faciendum esse censemus: nihil enim amplius in sacris monumentis extat, quam gradum tantummodo aliquem adstructum fuisse concionantibus in Templo, & loquentibus, ut paulisper supra circumfusam turbam eminerent. Columna Salvatoris cujusmodi fuerit, diversa auctores tradunt; nec satis explicatur oblonga ne fuerit, an brevior. In sanctæ Praxedis æde brevior, in cœmeterio sancti Nicolai ad carcerem Tullianum oblonga, & alta cernitur, eaque facta est ante septingentesimum annum. In ultima cœna Salvatoris vidimus collocare pictores agnum inter cæteras mensæ ejus dapes. Atqui agnus ille minime manducabatur ab accumbentibus, sciuntque studiosi antiquitatis homines, nequaquam similem conviviis cæteris ejus convivii formam fuisse. Itaque quoties facere volent discumbentem una cum Discipulis Salvatorem, agni mysterium ab illa mensa removendum erit, sepa-

Tentatio. *Disputatio.* *Columna.* *Cœna.*

a Vide Tab. CXLVI. tom. III. Romæ subterraneæ.

paratímque faciendum; nam diversa etiam, & separata res erat. In sanctissimi Sacramenti institutione panem, & vinum poterunt apponere Salvatori in ea mensa, cui cum discipulis suis accubuit, sed cavebunt, ne Salvatorem ipsum ita pingant, ut Crucis nota panem, vinumve insequatur. Nam ante Christi passionem nequaquam Crucis signo, sed diversa quadam cœremonia, & ritu benedictiones fiebant; id quod periti sacrarum litterarum sciunt. Itaque loquentem quasi, vel ab ipsa precatione recentem Salvatorem fecit Leonardus [a] in inclyto illo cœnaculo, sive triclinio, quod inter urbis nostræ ornamenta erat, antequam id mirabile opus dies corrumperet. Nos quo potuimus modo, sanavimus in ea re temporis injuriam, tabulisque diversis, quæ in nostra Bibliotheca Ambrosiana adservantur, excipiendum curavimus; idque magna diligentia factum est, nec dum enim tam corrupta res erat, quam hodie cernitur. In facienda autem sacri sepulchri imagine, nequaquam placet lapidem *Sepulchrum.* adhiberi politum, & tersum; sicuti fere adhibetur. Id enim repugnat historiæ ipsius veritati, & Evangelio, cujus hæc verba sunt: *Et po-*

a Scilicet *Leonardo da Vinci*, qui in pariete apud Dominicanos postremam Christi cœnam divina plane arte pinxit. Hanc autem picturam nescio qua causa corruptam, & nigredine obducta omnino invisibilem, miro, ac laudabili artificio pictor quidam nostra tempestate ad pristinum splendorem revocavit. Hujus ectypum extat inter summi Pontificis aulæa in Palatio Vaticano.

Matth. 27. 60. *posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra*; atque ita potius antri alicujus faciem imitandam esse censemus. Sed turpius etiam peccari videmus in pingenda resurrectione Salvatoris. Namque redivivum ab tumulo Christum ita faciunt, ut perculsi, attonitique re subita milites sese abjiciant humi, & prosternant. Id falsum, mendosumque est. Prodiit enim ex tumulo Salvator, itaut vigiles illi nihil sentirent. Postea interjecto aliquo temporis spacio, cum Angelus monumenti lapidem evolveret, excitati strepitum sensere, territique fuerunt. Peccant etiam in eo pictores, quod hiantem, aperientemque sese tumulum faciunt, ut prodeunti Salvatori via sic pandatur. Non enim egent beata corpora via exituque tali, lapidemque ab Angelo esse remotum, Evangelista tradit. Omnino autem ita pingenda res erat, ut in exprimendo vigilum terrore, simul evolutus Angeli manu lapis ostenderetur. Post resurrectionem deinde ipsam, euntem in Emmaus, associatumque Discipulis Christum, & una cum iis accumbentem facere possunt, sicut alicubi vidimus, sed panis ille, quem divina manus dividit, nequaquam debet ita divisus esse bifariam ex æquo, quasi novacula aliqua medius secaretur. Sic enim admitti, & probari videretur inepta eorum opinio, qui miraculose panem eum fuisse

Resurrectio.

Iter in Emmaus.

fe

se divisum, eoque miraculo Salvatorem agnitum credidere [a].

DE FIGURIS BEATISSIMÆ VIRGINIS.

CAPUT V.

MYsteria, & Symbola, sive notæ, quæ designandæ Virgini Sanctissimæ adhibentur, retineri debent, eaque persona quanta maxima fieri, & excogitari possit majestate pingenda est. Sed videant pictores, ne quid in hac etiam parte præter decorum, & præter historiæ veritatem admittant. Nam de ipsa etiam Deipara Virgine literæ nonnullæ tradiderunt id, quod non est omnino probandum; erraretque si quis ortum, natalesque illius pingere volens, sequeretur vulgatum de ea re testimonium Opusculi de Nativitate Beatæ Virginis ad Chromatium, & Heliodorum. In morte etiam ipsius pingenda, vitanda vanitas est scripti alicujus, cui credidisse nonnullos video, potiusque sequenda est auctoritas Dionysii Areopagitæ [b], qui in sanctissimo illius excessu præter cæteros, adfuisse ait sanctum Jacobum fratrem Domini, & sanctum Petrum, & Timotheum, ipsum-

Natales Virginis.

Mors.

Lib. de Divin. Nomin. c. 3.

a Verba Evangelistæ, quibus Christum agnitum fuisse dicitur in fractione panis, antiqui Patres interpretantur non de mira panis divisione, sed de Eucharistiæ mysterio.

b Compertum nondum universim erat, libros, Areopagitæ adscriptos, sequioris ævi opus esse.

Conceptus. ipsumque etiam Dionysium. At de conceptu Virginis ipsius sanctissimæ merito dubitavere nonnulli, quanam id mysterium arte pingi possit. Nos censemus, fieri posse adolescentulam unam tectam amictu suo in magno aliquo splendore sedentem, eique splendori circumvolitantes Angelos majores, & minores, figuramque ipsam, & Angelos leviter tantummodo adumbratos faceremus, ita ut superveniente cælitus fulgore, illuminarentur, atque inter cœlestes eosdem splendores apparerent tres Personæ divinæ ipsæ quoque adumbratæ leviter. Hactenus tradi posse rationem arbitramur pingendi mysterii unius, quod neque sub hominum oculos, neque in pictorum artem cadit, sed contemplantium, & scribentium subtilitate continetur. Minime vero decebit facere Deiparam

Virgo exanimis. exanimem sub Cruce, quia repugnat historiarum testimonio id, auctoritatique Patrum, Ambrosii, Idelphonsi, Bonaventuræ, Metaphrastæ, qui omnes sanctissimæ Virginis constantiam extollunt, eamque passionis præsertim tempore fuisse spectatam testantur. Quod autem sanctissimæ Virginis imago ex divino illo vultu ad vivum expressa fuerit, id quidem Nicephori testimonio comprobatur, ideoque conniti pictores debent, ut ad eam imaginem quam proxime accedant, effigiemque sanctam illam ab profanis aliarum lineamentis distinguant. Id ipsum in imagine Salvatoris facere debebunt, quæ sicut antea diximus, expres-

Lib. Instit. Virg. c. 7. & lib. 10. epist. 82.

Serm. 2. de Assump. Virg.

In primo, distinc. 48. artic. 2. qu. 1.

Oration. de dormit. B. Virginis cap. 35.

Lib. 15. c. 14. & lib. 6. c. 16.

pressa item ad vivum fuit. Ut autem pictores commodius ad vivum exprimant Beatæ Virginis imaginem, proponam ego exemplar, quod Nicephorus ipse nobis reliquit: *Mores autem, formæque, & staturæ ejus modus talis, ut inquit Epiphanius, fuit: Erat in rebus omnibus honesta, & gravis, pauca admodum, eaque necessaria loquens, ad audiendum facilis, & perquam affabilis, honorem suum, & venerationem omnibus exhibens, statura mediocri: quamvis sint, qui eam aliquantulum mediocrem longitudinem excessisse dicant. Decenti dicendi libertate adversus homines omnes usa est, sine risu, sine perturbatione, & sine iracundia maxime. Colore fuit triticum referente, capillo flavo, oculis acribus, subflavas, & tanquam oleæ colore pupillas in eis habens. Supercilia ei erant inflexa, & decenter nigra, nasus longior, labia florida, & verborum suavitate plena: facies non rotunda, & acuta, sed aliquanto longior, manus simul, & digiti longiores. Erat denique fastus omnis expers, simplex, minimeque vultum fingens, nihil mollitiei secum trahens, sed humilitatem præcellentem colens, vestimentis, quæ ipsa gestavit, coloris nativi contenta fuit: id quod etiamnum sanctum capitis ejus velamen ostendit. Et, ut paucis dicam, in rebus ejus omnibus multa divinitus inerat gratia. Ætas autem ejus sic se, ut antea dixi, habuit.* *Lib. 2. c. 23.*

DE

DE ANGELORUM IMAGINIBUS.

CAPUT VI.

CUM pulcherrimæ mortalium formæ hactenus tractatæ sint, consentaneum erit, Angelorum quoque formas tractari, cum cælestes illi spiritus in humanæ formæ speciem effingi soleant. Quæ formæ quoniam ab corporibus humanis alarum præcipue gestamine distinguuntur, videndum erit, deceat ne insignia illa addi Angelis, an vero etiam omitti melius sit. Sane Michael Angelus [a] absque alis fecit, quas esse supervacaneas, petito etiam ab Gentilitate ipsa testimonio, & argumento, demonstrari potest. Nam Homerus ipse, qui cuncta vidisse, & cognovisse creditus est, non solum alarum remigio Deos indigere non putavit, sed junctis etiam pedibus incedentes fecit, nec more nostro gradum explicantes. Rursus tamen aligeros fieri Angelos gravissimi Scriptores volunt, argumentisque variis in eo nituntur. Neque enim adversus ea dici potest, imagines hujusmodi Angelorum minime esse veras, germanasque effigies, sed commenta quædam humani ingenii. Nam nemo sanus ignorat, non esse illas Angelorum effigies expressas ad vivum, sed imperfecta quædam simu-

Chembin super Arcam.
Concil. Calcedon.
Dionysius Areop.
Damascenus.

a Vt videre est in postremi Judicii delineatione, quæ in Vaticano Sixti IV. sacello extat.

mulacra, sive symbola, & figuras naturæ eorum; quod minime tamen vidit unus homo, qui cum apud studiosum picturæ hominem, inter alias eximiæ artis tabulas, septem Angelorum capita stantes admiraremur, interrogavit, audientibus nobis, an capita illa, & ora Angelorum ad vivum expressa essent. Sunt igitur imagines istæ Angelorum faciendæ ea maxime forma, quæ naturam, excellentiamque ipsorum declarare possit. Alæ ad velocitatem indicandam adduntur, vestis modestiæ causa, oris humani species, quia nulla alia perfectior, figura juvenilis est, ad vim, potentiamque indicandam, quam nulla senectutis tabes attingit. Finguntur etiam nudi, ut procul ab omni rerum humanarum contagione abesse intelligantur, pedumque maxime nuditas indicat, paratos esse ad omnem Dei nutum. Nam Moyses etiam, & Esaias, & Apostoli ipsi jussi fuere pedibus sic stare nudis ad divina jussa exequenda. Vestes præterea Angelorum pingi poterunt, vel ad lini similitudinem, sicut in Ezechiele, vel sacerdotali habitu, sicuti in Apocalypsi, vel colore lapidis, sicut etiam in eadem Apocalypsi, vel fulgore demum ipso, quo circumfusos eos Adamus vidit. Sed nec figura semper apparuere humana. Nam animalium interdum sumpsere formam, rotæque, & lapides pretiosi, & nubes, & venti, & flammæ in sacris Litteris divini illi Spiritus fiunt, taliaque simulacra, & visiones nonnulli

Exodi 3. Esaia 20. Matth. 10. Cap. 9. Ezechiel. c. 9. Apoc c. 8. Zach. c. 6. Ezech. 12. Apoc. 4. Ezech. 1.

Brun. de imagin. c 6. *Dionys. Areopag. in cœlesti Hier. c. 2. & 15.*

li nostrorum hominum tractavere suis litteris; olimque Dionysius Areopagita profundo suo ingenio mysteria hæc explicavit, ac præcipue quæsivit, cur ignis forma Angelis tribuatur.

EMBLEMATA SACRA.

CAPUT VII.

Figura animalium.

Hieronym. in Ezech c. 1. August. lib. 1. de consens. Evang. c. 6. Greg. hom. 3. & 4. in Ezechiel. Beda in Apocal. c. 4. & 6. Columba.

INterdum etiam pii nostri, & antiqui Patres pro figuris humanis Sacra Emblemata adhibuere, quibus sententiam, corpusve aliquod significabant, ejusque antiqui instituti non fugienda, sed retinenda potius, & frequentanda imitatio erit. Scimus Evangelistas designari animalium figuris, & quatuor animalia ab Ezechiele visa quatuor esse Evangelistas gravissimi Patrum censuere. Sanctissimæ Virginis etiam mysteria, & aliqua nominum ejus corporatis figuris significata reperiuntur. In cryptis autem arenariis Romæ Columba [a] expressa cernitur ad significandam primorum Fidelium simplicitatem. Ea ramulum ore unum continebat cum mysterio, interpretationeque hac, fore aliquando, ut Tyrannorum in Ecclesiam sævitia mitesceret; figuraque illa in Cœmeterio præsertim Ostriano via Salaria cernitur. Pingebant quoque Pavo-

[a] De columbarum significatione, vide sis Animadversiones ad Romæ Subterr. picturas, & sculpturas tom. 1. pag. 61. 117. 118. & tom. 2. pag. 42. 109. 122.

Pavonem [a], scilicet ut animalis ejus exemplo *Pavo.*
moniti mortales, discerent respicere ultimam
sui partem cum gemitu, & suspirio, quæ qui-
dem figura Pavonis in eodem Cœmeterio O-
striano spectatur, ibidemque Jonam vidimus
ex ore Ceti prodeuntem, symbolum haud du-
bie calamitatum ejus sæculi. Quodque ad Jo- *Jona.*
næ ipsius figuram attinet, animadvertimus
nos, cum primum Romæ Cœmeteria aperiren-
tur, non sub hedera, sed sub cucurbita fuisse
Jonam ipsum. Passim enim sculpta, & depicta
cucurbita erat, quæ Prophetam tegeret, I- *Ignis.*
gnem [b] etiam pro vita æterna, vel pro caritate,
vel pro anima immortali pingebant. Navicula *Navicula.*
species [c] Ecclesiæ erat, eaque navicula pinge-
batur inter procellas ad indicandas Christi Fi-
delium calamitates, quæ tunc multæ, ma-
gnæque erant. Vasculum [d] quoque sempervivo *Vasculum.*
consitum cum fecissent, spem æternam rerum,
præcipueque resurrectionis confirmare vole-
bant. Etiam Noemum [e] in Arca, nudumque
inter Leones Danielem [f] proponendo, significa-

a Quid sibi velit Pavo in cœmeteriorum picturis enarrat auctor Animadversionum ad Romæ Subterr. sculpturas, & picturas tom. 2. pag. 25. 30. & 121.

b V. *Osserv. sopra i Vetri &c.* Senatoris Bonarotæ tab. 6. num. 1. in qua pictæ cernuntur flammæ ignis.

c V. Constit. Apostolic. lib. 2. cap. 57.

d V. Rom. Subt. tab. LXVI.

e V. Rom. Subter. tom. I. tab. XXXVII. XL. & XLI. & tom. II. Tab. LIX. LXV. & LXXII.

f Vide passim in Tabulis ejusdem Operis, & parergon pag. 26. tom. 2. Omnino legendæ sunt Animadversiones ad easdem tabulas tom. 2. pag. 154. 161. & 165.

bant jacentes inter feras Christianos, calamitatumque proluvionem. Obedientiæ, Fideique Symbola erant, sacrificans filium Abrahamus [a], & Babylonici juvenes in camino accenso, & Moses aperiens in solitudine aquarum venas, quæ figuræ per Cœmeteria depictæ, spem omnem in Deo esse collocandam monebant. Symbola porro, & mysteria, sive Emblemata hæc, si prudenter, & pie Pictores adhibuerint, venustatem etiam operi suo conciliabunt ob varietatem, quæ inde oritur. In Templorum etiam ingressu figuræ Leonum collocantur, ut Sacra loca cum horrore veneranda esse mortales intelligant. Leoninos dentes terroris habere significationem scripsit Orus Apollo, bestiamque eam ad Templorum [b] valvas ideo collocari, tanquam custodiæ causa, cum eæ bestiæ vigiles admodum sint, neque conniveant umquam. In clypeo etiam Agamemnonis incisum fuisse Leonem Pausanias ait, ut terrori hostibus esset, iræque Leonum Virgilii, & Ovidii carminibus celebrantur, & pars ejus bestiæ prior juxta Ægyptios, sicut apud Macrobium, & Orum Apollinem est, summi roboris nota habebatur. Sacræ insuper Litteræ Leonis nomine designavere Salvatorem, cujus figura, & Regium augurium, & robur

Obedientia, & Fidei Symbola.

Leones.

a Vide sis Tabulas Rom. Subterr. tam primi, quam secundi tomi; ac etiam tertii, ubi passim occurrit, & Abraham filium sacrificans, & pueri Babylonici, & Moses petram percutiens.

b V. Ciampinii Monim. antiq. tom. I.

robur non solum corporis, sed magnitudo etiam animi significabatur; ideoque ad Solis currum junxit Leones fabulosa etiam antiquitas ob similitudinem cum celsissimo Sidere quandam. Emblematum Sacrorum origo reperitur in Sacris Litteris, jubente scilicet Deo valvis incidi palmas, & mala punica, & Seraphinos, quibus rebus magna mysteria inerant:

DE IMAGINIBUS AD VIVUM EXPRESSIS.

Caput VIII.

Neminem esse existimo tam severum amatorem Stoici moris, ut cernere, contemplarique abnuerit nativas imagines septingentorum amplius illustrium virorum, quas Marcus Varro voluminibus aliquot inclusit, prope lacessita, sicuti Plinius ait, Deorum invidia, quorum immortalitatem ille transferre ad homines istos quodammodo voluisse videretur. Pliniique ipsius verbum hujusmodi est; *misisse in omnes terras, ut præsentes esse ubique & claudi possent*. Quanto major, ampliorque thesaurus esset, si Sanctorum imagines expressæ ad vivum ex ultima antiquitate in hunc diem custodiri potuissent! In quo sane custodiendarum imaginum studio, Græci mihi videntur multum præstitisse cæteris Gentibus, solicitudineque majori conservasse Heroum *Lib.35. c.2.*

ſuorum effigies, & ſimulacra. Quem morem ſedula, & erudita natio, poſtquam Chriſtiana Sacra ſuſcepit, tranſtulit etiam ad Sanctos, hodieque Chryſoſtomi, & Baſilii, & Gregorii vultus Menologia præferunt, atque conſervant. Quam diligentiam, quodve ſtudium non video ego, quo tempore Latini Scriptores præſtiterint. Inde factum eſt, ut tanta penuria ſit hodie imaginum ejuſmodi, & pauciſſimæ illæ quæ extant, accuratiſſime imitandæ Pictoribus ſunt, ſi quidem in arte ſua laudem aſſequi eam velint, quæ tribui debet vivæ alicujus imaginis Artifici. In Bibliotheca Ambroſiana multorum annorum ſtudio collectæ multæ ejuſmodi imagines, hodie conſervantur, videmurque poſſe ſperare majorem copiam, opuſque præclarum, ſi ſtudio, & diligentia, quæ a nobis præſcripta eſt, conquiſitæ deinceps, & conſervatæ erunt imagines eorum, quos unaquæque ætas feret. Scimus, ſcripſiſſe Euſebium, & Nicephorum, quod Sancti Petri, & Sancti Pauli expreſſa ad vivum imago ætate ſua conſervaretur [a]. Ipſeque Conſtantinus in Edicto, quod ita inſcribitur, *Edictum Domini Conſtantini Imperatoris*, fertur, cum a Silveſtro Papa petiiſſet, an haberet ipſe eas imagines, reſponſum accepiſſe, habere utique, & paulo poſt

Lib. 7. hiſt. c. 14.

Lib. 6. hiſt. c. 16.

Petri, & Pauli imagines.

a Multa de antiquis S. Petri Apoſtoli imaginibus videſis apud Fogginium *De Romano D. Petri itinere & Epiſcopatu &c.* Exercit. xx.

post ad Cæsarem ipsum missæ fuerunt. Effigiesque illa Apostolorum, quæ maxime vera, & germana hodie habetur, simillima est lineamento, & figuræ, quam in Philopatro Lucianus descripsit. Facit enim Scriptor ille ita loquentem quemdam, *Paulus recalvaster erat, & naso aquilino*. Moris quoque fuit apud veteres pingere mortalium ora, dum viverent, spirarentque adhuc. Ac de Meletio Episcopo Antiocheno narrans Chrysostomus ait, tantam ejus viri famam, admirationemque sanctitatis fuisse, ut vivi adhuc ejus imago incisa annulis circumferretur, passimque eam parietibus, & vasis insculpta cerneretur. Simile quiddam de Simeone Stilita Theodoretus in Philoteo habet. Tantum scilicet fuisse nomen ejus, ut Romæ apud porticus, officinasque omnes effigies divini hominis cerneretur. De Daniele Stilita apud Metaphrastem est, ob accepta quædam ab vivente eo beneficia, pingi solitum fuisse. Sed admirationem, famamque rerum istarum superat Sancti Simeonis apud Mirandomontem admiratio, & fama. Nam de Sancto illo homine ita est in Concilio Nicæno secundo; imaginem scilicet ejus, dum adhuc ipse viveret, claruisse multis miraculis, feminasque duas præsertim ab ea sanatas esse, quarum altera fluxione sanguinis laboraret, altera ab Dæmone obsideretur. Hæc nos ita retulimus, ut incitamento Pictoribus sint, ne perire patiantur imagines eorum, qui vel civili

Meletii Episc. imago.

In Encomio Meletii to. 6.

Simeonis Stilita effigies.

Danielis Stilita imago c. 35.

Simeonis imago.

Act. 4. tom. 3. Concil.

prudentia, vel militari laude, vel sanctitatis, litterarumve fama insignes fuere. Decebat enim præclaros Artifices certamen inter se quoddam instituere ad imagines hujusmodi custodiendas, neque tam deditos ipsos esse lucro, ut non publicæ utilitatis, illustriumque animarum rationem ipsi quoque haberent. Sed & lucri, pecuniæque cura poterat allicere eos ad studium, curamque hanc. Nam, ut cætera

S. Caroli imago.

omittam, unicum profecto Sancti Caroli exemplum potest ostendere, quam utilis, & quæstuosa res sit. Pingendis enim ejus imaginibus infinitam prope pecuniam insumptam fuisse arbitror, postquam ille excesserat. Dum vero inter nos ille moraretur, non fuit fortasse aliquis unus, qui Sanctissimi Pastoris nostri vultum ex ipsius vultu exprimere, ac delineare studeret. Potest tamen negligentia ista Artificum excusationem habere eam, quod Divini homines abhorreant ab honoribus, gloriisque

S. Paulinus epist. 8. ad Severum.

istis, quale exemplum Sanctus Paulinus reliquit. Is enim efflagitanti Severo Episcopo, ut imaginis suæ copiam sibi faceret, negavit. Ac clarissimus fere quisque contempsit semper honorem ejusmodi, quem potius humiles, & obscuri appetivere, ut nimirum imago sua picta

In Orat. de Agesilao Rege.

cerneretur: Ideo Xenophon Agesilao laudem quoque tribuit hanc, quod effingi sese noluerit, aitque tam fuisse ipsius recusare, ne id fieret, quam Artificis laborare, ut fieret. Multum

Greg. Magnus.

diverso spiritu, rationeque graviore Gregorius

Ma-

Magnus pingi sese vivum voluit, ut imago ea Monacis ante oculos, ceu frenum, & norma vivendi perpetuo esset. Ita enim de ea re Johannes Diaconus refert. Credidere nonnulli, fuisse morem hunc apud veteres Christianos, ut cum vivus aliquis pingeretur, Tabella ad occiput quadrata apponeretur, quæ Tabella Romæ passim operis Musivi figuris addita cernitur, præcipue autem ab Divi Clementis nobili illo, & mirifico opere, fortasseque Tabella illa significabat nondum opus salutis eorum esse perfectum, cum Viatores adhuc illi essent. Johannes Diaconus ita commentatur, non tamen certissima ea ratio est. Rotundum porro illud, quod capiti multorum appositum cernitur, appellaturque diadema, fortasse pertinuit ad significandam gloriæ coronam, perfectionemve spiritualem, quam mens eorum assecuta erat. Id tamen coronæ nomine designatur apud Damasum in vita Silvestri, dum Salvatoris, Apostolorumque effigies ait fecisse cum coronis ex argento purissimo. Melius fortasse illi, qui Clypei fuisse formam censuere, quæ nimirum coronandis militibus adhibebatur. Profanis quoque corporibus appositam fuisse constat eam coronam, eumque Clypeum, sive Diadema, unde conjectura oritur ab Gentium fortasse ritu id fuisse desumptum. Nulli certe obscuro capiti umquam figura ea reperietur; probabileque est ad quamdam Regii stemmatis similitudinem id fuisse institutum. Pro Clypeo hoc, sive

Lib. 4. c. 84.

Tabella quadrata.

Lib. 4. c. 84.

Diadema.

Corona.

Clypeus.

Radii. ſive Diademate cernuntur alicubi Radii, qua nota credidit aliquis diſtingui Beatorum gloriam ab eorum gloria, quos Eccleſiæ auctoritas Sanctis intuliſſet. Verum, quia apud Sacros antiquos non reperitur ea Radiorum nota [a], ideo novitium fuiſſe inventum arbitrari licet. Dum autem laudamus, commendamuſque morem, & ſtudium effingendi vivas imagines, cogimur ſimul Artifices caſtigare eos, qui perditæ famæ quoſdam eligunt, ut eorum ora, & vultus Sanctorum imaginibus commodent, idque tam belle faciunt, ut illico deprehendantur. Quam Artificum inſaniam in *Lib.35. c.10.* diſſimili genere notans Plinius, narrat Pictorem fuiſſe unum, qui fæminarum ſuarum corpora ſub Dearum nominibus pingeret. Nec deerunt fortaſſe, qui dolores, iraſque ſuas occaſione ſacrarum rerum ultum eant: nota magni Artificis nequitia, qui cum proditorem Judam pingeret, eum fecit inimico ſuo ſimilem. Et alius quidam fecit Dæmonem [b] vultu, & ore, quaſi nonnemo ſibi moleſtus erat. Quamobrem ego magnopere Artifices hortor, ut neminem umquam ad vivum effingere aggrediantur, qui famæ non ſit probæ, & honeſtæ,

a Hæc XIII. ſæculi commentum arbitror.

b Hoc factum fuiſſe a Michaele Angelo Bonarota legimus apud Georgium Vaſarium in ejus vita pag. 747. qui Blaſium Ceſenatem cæremoniarum Magiſtrum Minois forma in Inferno pinxit, ad ultionem cujuſdam ſcommatis in picturam Judicii extremi, quam Bonarota coloribus repræſentabat, impacti.

stæ, caveantque, ne penicillo suo maledici reperiantur, ne scilicet sequantur eos probra, & damna, quæ venenatum etiam stylum sequuntur.

DE EFFIGIE SANCTI GREGORII, ET CAROLI MAGNI.


CAPUT IX.

AD nostram deinde ætatem, sero quidem, sed tamen studio nonnullo circa sacras antiquitates, adlaborari cœptum est, ut reliquiæ illæ exiguæ conservarentur, quæ tempori superfuerunt, chartaque, & papyro, cum alia non possent via id assequi, præclaro sane invento conati sunt. Id namque remedium extremum erat, & sacra velut anchora adversus naufragia, & tempestates, quas rerum humanarum pelagus fert secum. Nos quoque ante aliquot annos, nonnullam ejus rei curam habueramus, & pleraque veterum imaginum collata in libros tradidimus Bibliothecæ Ambrosianæ, idque tam opportune factum est, ut vel stoliditate, vel negligentia nonnullorum, brevi spacio labes irrepserit etiam in ea ipsa simulacra, unde expressa hæc erant. Plurima sane laus, & gratia tribuenda Sacerdotibus illis est, qui delineavere Sancti Petri Basilicam, hodieque sedulo laborant, ut posteritas imagine aliqua proposita cognoscere possit, quæ forma anti-

antiquitus [a] fuerit hujus Templi. Et quamvis nova illa mole Vaticanæ Ædis nihil fieri augustius possit, evenit tamen in ea ipsa mole piis fere hominibus id, quod Hebræorum Genti fertur evenisse, cum inclyta illa Hierosolyma
1. Esd. c. 3. 12. Ædes instauraretur. Namque cum opus id fieret, sacræ tradunt Litteræ, lætos multos, ingemiscentes visos fuisse alios, mœstitiamque, & dolorem cum hilaritate conjunctam. Pars populi, quæ meminerat formæ prioris, & Magistratuum nonnulli memores item antiquæ formæ lacrymabantur, ideo quia videbant irreparabile esse damnum, ruinasque illas non posse resarciri. At juniores, qui veteris fabricæ meminisse non possent, ob novam illam summopere lætabantur, neque ultra desiderabant quidquam. Has præcipue conservari, effingique summa diligentia imagines oportebat, quandoquidem ita pereunt, & dilabuntur. Romæ jam prope Ædem Gregorii, effigies Sancti ipsius antiquissima cernebatur, quæ licet, ob Artificis fortasse inscitiam, non ipsum plane referret, simillima tamen erat Sancti
In ejus Vita. ejusdem imagini, quam Johannes Diaconus stylo expressit, nec melior utique, vetustiorque alia extabat. Jam ea apparere desiit ob ruinas, volumusque nos in hunc Librum eam includere, cum in Bibliotheca nostra extet, sicut ab exemplari suo effingendam multis abhinc

[a] Antiquam Basilicæ Vaticanæ formam videre est apud P. Philippum Bonannium in Historia templi Vaticani.




SCS
PE
TR
VS
SCSSIMVS
D.N.
LE
O
PR
+D.N.CARVLVS
R
E
X



hinc annis jusseramus. Romæ item in Palatio Lateranensi in vestigiis, ut arbitror, Aulæ Leoninæ, quam Leo Tertius extruxerat, vidimus Caroli Magni imaginem, quam jussu quoque nostro delineatam huc inseremus, non sine magno dolore, quod reliqua perierint, ac non sine justa etiam querela, quod nemo curam earum rerum susceperit. Effigies ea simillima est sigillo uni, quod diplomati fortasse alicui Cæsaris ejus annexum esse debuit, itemque faciei, quam in vetustissimo Bibliorum Codice expressam vidimus, indeque cum versiculis aliquot ductam Bibliotheca Ambrosiana habet, ipsumque Bibliorum Codicem Benedictini homines Romæ in Sancti Pauli Monasterio religiosissime conservant, facillimaque interpretatio est ob litterarum notas, quæ additæ sunt. Princeps Apostolorum Leoni Tertio dextra manu pallium porrigit, altera Carolo Magno vexillum, rubicantibus notis alicubi distinctum. Id vero fit, quia Carolum ipsum, in Leonis Tertii Pontificatu Senatus, Populusque Romanus Imperatorem appellavit, magnaque Pontifici huic cum Imperatore illo necessitudo fuisset, cujus etiam filius Ludovicus, post mortem Patris, pleraque dona, & thesauri sui partem ad Pontificem misit, sicuti Theganus refert. Fuit alia Cæsaris ejusdem germana huic imago in Sanctæ Susannæ Æde, quam ipsam effingendam inde curavimus. Cujus sane imaginis forma plane congruit cum descri-

descriptione, quæ apud Eginhartum est, magnumque caput, & rotunda frons, & oculi grandes, & nasus aliquanto major, quam cæteris esse soleat. Atque imagines istæ tum habitu, tum facie ipsa referunt easdem, quæ in Patriarchatu Lateranensi in Aula Leonina manent. Imago autem, quæ in Sanctæ Susannæ æde ad Quirinales erat, fuit hujusmodi. Ad dexteram Leo Tertius manu Templum tenet, simulacrum scilicet ædis ipsius Sanctæ Susannæ, quam ipse instaurarat. Ab altera Carolus Magnus dexteram explicat tamquam exponens, Pontificem eum opera sua calumnias effugisse, quæ ipsi objiciebantur. Alteram vero Cæsaris imaginem, quæ adhuc cernitur in Patriarchatu Lateranensi, oculis subjicimus. [a]

SOLVUNTUR NODI QUIDAM CIRCA SANCTORUM IMAGINES.

Caput X.

S. *Lucia.* Dissolvemus in hac Libri parte nodos quosdam, prout quidque occurrerit, idque dum fiet, non magnopere laborabimus, ut aliud ex alio nectatur. Dubitavere nonnulli, an in pingenda Sancta Lucia Martyre interea dum suos ipsa oculos teneat, præferatque manu, palpebris fieri clausis debeat, an aperta, & ex-

[a] Extat hæc imago in triclinio Leoniano ex opere musivo. Vide Nicolaum Alemannium.

& excœcata ipsa oculorum sede carnificum injuriis. Minime id faciendum esse censemus, quamvis tota Martyrii series pingatur. Neque ostendendum erit, quomodo carnifices effoderint Virgini oculos; cum istud veritati, atque narrationi Historiæ adversetur. Falso ergo traduntur, & collocantur oculi in manu, ceu insignia Martyrii ratione eadem, qua Sancto Laurentio craticulam, & Sancto Sebastiano sagittas tradi mos est. Dubitatum etiam est, an Sancti Johannis Baptistæ imago tenere manu caput suum debeat. Nequaquam tenere debebit, quia licet de Sanctis quidem aliis traditum sit, quod suum ipsi caput manibus portarint; de Sancto tamen Johanne Baptista nihil tale usquam legimus. Sed sanctam eam Præcursoris, inclytamque Decollationem profanare videntur Pictores ineptia quadam sua. Nam quidquid fere artis habent, consumunt in pingenda Matre, sive Adolescentula scelerata, quæ magnum, & venerabile caput Johannis poposcit. Cætera, carnifices sunt, & satellites, & seminuda fæminarum corpora. Atqui non deerat honestior arti, sanctiorque locus, si artifices isti ostendere voluissent vel tetrum, horridumque carcerem, in quo Sanctus ille jacuit, vel denuntiatam ei necem, formamque Decollationis, vel Discipulorum curam circa cadaver, sepulturamque ejus. Omnino cavendum est, magnopereque studendum, ne indecore quidquam fiat, veluti etiam si Virginem

S. Jo. Baptista.

Maria Virgo.

ginem Sanctissimam accepto Cælesti Nuntio exultantem, aliquis pingeret. Potius etiam reverens, atque trepidum præferre nonnihil debet, ut consentiat pictura cum verbis, quæ ipsa in tali tempore pronunciavit. Et Pictor etiam ille insulse egit, qui cum sedentem in sterquilinio, ulceribusque plenum, & manantem sanie Jobum fecisset, adjecit uxorem ejus habitu tamquam misereretur. Non enim misericordia ulla tetigit ejus mulieris pectus ob tantam mariti cladem, sed potius delusit hominem, ultroque irrisit. Habenda ratio est historicæ veritatis, ne scilicet pingendo, vana, & falsa loquantur Artifices. Est enim pictura, sermo quidam, quo Pictores non aures mortalium, sed animos alloquuntur. Et rancidum hodie illud Pictoribus, atque Poetis cuncta licere, ab eo manavit Poeta, qui ipse subtilissima suæ artis præcepta non tradidit solum, sed etiam accuratissime custodivit. Certis igitur, necessariisque legibus coercenda est ista Pictorum licentia, ut extra præcepta illa non evagetur, de quibus satis hactenus egisse videmur. Non faciet Pictor depositum e Cruce Salvatorem inter Angelorum ulnas, sed inter Matris potius, eorumve, qui sacrum exanime pondus deduxere Ligno; Josephusque vel Nicodæmus id tenebunt. Quod si Angelum immiscere aliquem volent, id ita fiet, ut motu, sive ministerio nonnullo circa membra Salvatoris occupetur. Et Sanctum illud, Divinumque

Jobus.

Salvator depositus e Cruce.

que

que corpus non debebit esse absque aliqua verberum nota, macieque, & squalore, quem tum accerbissimæ necis tormenta afferre potuerunt, tum injuriæ noctis, quæ necem ipsam antecessit. Magnum in pictura nomen, magnaque auctoritas attributa Gaudentio est in arte, quam factitavit, sed magnus fuit hominis error in eo, dum tenenti Infantem Deiparæ Virgini Sanctos plerosque circumfunderet, & in eorum numero Christophorum, qui Infantem eumdem portabat collo. Quod autem attinet ad ea Sanctorum insignia, de quibus antea egeramus, poterunt citra historiæ injuriam, addi sua insignia Sanctis, etiamsi ab ipso tantum Martyrii genere, ultimaque hora desumpta erunt. Ita si quis Sanctum Petrum Martyrem pingat, poterit addere gladium, etiamsi vivus fiat, neque repugnabit historiæ, si gladius ille capiti infixus pingetur; sic enim eum impius ille vulneravit. Recteque etiam exposito sagittis Sebastiano coronam, palmamve Angelus ferat. Sic enim significabitur mors vicina, præmiumque tormenti. Ac sicuti sunt hæc permissa Pictoribus, ita vitare debebunt absurda, & inepta multa, quæ in pingendo Paradiso, Purgatorioque, & Limbo, & Sedibus Inferorum contra historiæ, reique veritatem ab ipsis peccantur. Pingunt enim in Paradiso nuda penitus corpora, in quo Michael etiam Angelus manifeste lapsus, dedit pœnas. Alieno enim penicillo tegi nuditatem eam oportuit,

Gaudentii error.

Insignia Sanctorum.

Paradisus.

una cum Artificis illius errore. Neque excusatio admittenda est dicentium, Evam, & Adamum innocentiæ suæ tempore nudos fuisse, parique nuditate pingenda esse corpora Paradisi, quia nullus ibi rubori sit locus. Nam qui corpora ea intuentur, non sunt ipsi nunc in eo innocentiæ statu, possuntque & erubescere, & cogitare multa. Stantes potius, sive sedentes, quam procumbentes, sive prostratos Sanctos Angelos faciendos esse censemus. Quos cum pinget Artifex, cavebit, ne viride solum pedibus eorum substernat, habebitque curam, & cogitationem interea defixam in Cælo omnem, ne penicillo terram attingat, quam attingit pedibus. In Orco, sedibusque Inferorum pingendis vitabunt omnia, quæ obscœni aliquid habere possent. Nam alioqui esset id benemereri de toto Dæmonum genere, si lasciviæ incitamenta pingerentur. Imago Purgatorii ita fieri debebit, ut dolor simul, & suavitas quam maxime exprimantur, animarum scilicet, quæ cruciantur ibi, & sese evasuras sciunt. Affectus isti diversi egregie expressi cernuntur ex cera inter Bibliothecæ nostræ signa, & tabulas, quarum una totidem capitibus desperationem Inferorum, Purgatorii luctum, & Paradisi gaudia ostendit. Poterunt etiam Purgatorii pœnis inferi figuræ aliquæ Angelorum, qui vel consolentur animas, vel ad supplicia ipsa deducant, vel inde eximant; sed satius erit juxta meliorem sententiam, remo-

Inferorum sedes.

Purgatorium.

vere

vere a Purgatorio figuram omnem Dæmonum, cum satis ibi supplicii sit etiam absque horum sævitia, & fœditate. Neque leve opus excellentissimi Artificis fuerit, probe pinxisse misellas in Limbo animas infantum. Non erunt *Limbus.* eæ saltitantes, aut ludibundæ, neque precabundæ rursus, aut sese percutientes, sed tacitæ stent, & mœstæ, & cadente aliqua lacrymula ab oculis.

DE HABITU, INSIGNIBUSQUE SANCTORUM.

CAPUT XI.

QUod si germanæ, & veræ Sanctorum effigies haberi non possint, insignia saltem eorum retinenda erunt, quæ vel e Sacris Litteris, vel ex communi historia, vitisque Sanctorum desumpta sunt, vel Ecclesiæ auctoritate recepta. Martyrum insignia sunt Palmæ, *Palma.* idque Apocalypsis declarat. Apostoli Soleas *Solea.* gerunt, quarum usus testimonio Clementis Alexandrini comprobatur, credibileque est Pon- *Pædag. lib. 2. c. 11.* tificum plerosque retinuisse Soleas; id, quod vetustissimæ imagines testantur, nec dum usus ille exoleverat ad ætatem, qua Sancti Gregorii effigies picta est. Nam Pontificis illius calcei referunt ex parte communes nostri temporis calceos, ex parte vero Soleas ipsas. Quin etiam Pontificis ejus Mater in Sancti Andreæ

Æde picta juxta Filium calceos habet, ostenditque id muliebre, & molle fuisse gestamen. Calceamenti autem forma istius vetustissima apud Gentiles fuisse videtur, estque cernere statuas partim nudo, partim tecto pede, prout cuique placeret. *Nota quadam in vestibus.* Apostolorum vestes quasdam in lacinia notas [a] habent hujusmodi L. И. Γ. quas panni fortasse notas diceret aliquis ab officina, & apotheca, nisi valde similes inter se essent. Debuerant enim si notæ mercatorum forent, variari, & distingui. Episcopi vero, & Archiepiscopi Pallio distinguuntur ad pedes usque demisso, sicuti pleræque musivi operis imagines ostendunt, ipsaque præsertim Sancti Gregorii Magni [b] imago, quæ verissima omnium censetur, ideo nimirum quia cum Johannis Diaconi descriptione consentit, sicuti antea dictum est. In superiore Assisiensi Æde crucibus atris distinctum cernitur. *Pallium.* Idque Pallium leviter ad sinistrum humerum flectebatur non dissimili specie, ac si ante pectus in torquis modum penderet, deinde rejiceretur in lævum; quæ species apud musiva opera deprehenditur, si quis recte inspiciat. At hodie etiam Pallia nostra flectuntur in sinistrum humerum, ibique tantum geminantur. Pontificum Maximorum propria est infulæ forma, quæ Regnum dicitur. *Regnum.* Ea tribus circumdata esse coronis debet

a De his notis vide sis Ciampinii Monim. antiqu. & ad Romæ Subterraneæ picturas Animadversiones.

b Imago S. Gregorii non pallium, sed penulam præfert.

bet ob summam auctoritatem, taleque gestamen in antiqua lege fuerat summo Sacerdoti, & triplicem ibi coronam fuisse Josephus testatur. Nonnulla tamen vetus pictura etiam sine triplici corona præfert Regnum cum unica circa extremam oram fascia, sicut animadvertisse videmur Assisii in pallio Altaris Honorii Papæ. In Lateranensi quoque Xysto, cum ea adhuc maneret, ex qua nimirum Pontifex populo benedicebat, vidi Pontificiam mitram cum unica corona in extrema parte circa caput, eratque mitra turbinatim acuta cum apice aureo. Pertinet ad hujus Pontificii Regni formam id, quod spectatur in imagine Apostolorum Petri, & Pauli, de qua antea dictum est. Imaginum namque earum crines triplicem coronam effingunt aliam alia minorem, id, quod factum esse debuit, vel ex aliqua Apostolici moris traditione, vel ad summam potestatem, imperiumque indicandum. Sancti autem alii distinguuntur ab aliis, insignibus quibusdam, veluti cum ad Sancti Antonii imaginem additum tintinnabulum, ignisque, & deforme animal, quarum rerum, insigniumque non satis est expedita ratio, quam afferre possimus, nisi fortasse fœda illa pecus designet Dæmones, quos divino Abbati molestos fuisse tradit Sanctus Athanasius, hinnituque, & stridore vario ad ipsum exterrendum esse coortos. Dæmonum namque turpitudo suis figura designatur. Sanctus Bernardus pingitur ligans Dæmonem,

Lib. 3. Antiq. c. 8.

S. Antonius.

In ejus Vita.

 in

S. Bernardus. in quo falluntur Pictores, cum Bernardum hunc Clarevallensem esse Abbatem putent. Fuit enim alter nominis ejusdem Sanctus ex Canonicorum Regularium Ordine, qui solitariam prope vitam egit, Montemque incoluit illum magnum, qui nomine ipsius hodie appellatur, & inclytum ibi Monasterium habuit. De Anachoreta hoc Bernardo memorant, quod increpuerit ipse Dæmonum audaciam, qui tractus illos furore suo infestarent, indeque locus opinioni datus est, Dæmonas ab

S. Georgius. ipso fuisse ligatos. De Sancto item Georgio fortia illa facta in Draconem, nequaquam omnia idoneis testimoniis firmantur, licet gratum, & acceptum fuisse Deo Sanctum eum mi-

S. Christophorus. nime negemus. Sanctum quoque Christophorum ob vastam ipsius proceritatem ad Templorum valvas pingere non deberent, ac de eo inania pleraque, & falsa referuntur. Phidiam utique veterem illum graviter fuisse objurgatum refert Strabo, quia Jovem Olympium ex marmore tanta corporis mole fecisset in Templo aliquo, ut excipere sese in pedes nequiret. Temere id ab Artifice illo fuisse factum antiquitas existimavit. Sed ille fortasse respexit Numinis magnitudinem, cujus nutu, & sicuti Homerus cecinit, motu superciliorum regi cuncta arbitraretur, ut quod in alia fortasse statua reprehendendum fuisset, arte non careret in illius statua, quem Deorum Patrem, & hominum appellarent, & cujus plena omnia dice-

dicebantur. Hoc de corporum magnitudine dictum sit, nos vero destinata peragemus. Sancta Lucia pingitur cum aliquo ejusmodi insigni, ex quo intelligatur, præesse ipsam valetudini oculorum. Recte id sane, quod Virginis hujus opem adversus oculorum morbos invocamus. Ostenderit enim ipsa fortasse res, & multis reddita salus, quod Virginis ejus auxilium præsto sit laborantibus. Sed potuit fortasse etiam mos iste inde ortus, quod ab superstitione Gentium abduci Christianos oporteret. Cum enim salutare oculis Numen esse Lucinam Deam antiquitas existimaret, subditum Martyris Luciæ nomen ei vano Numini fuit, & abrogata priore appellatione, retenta Virgo ista, & Martyr. Sanctum Patrem Franciscum pro certo habemus, fuisse cum acuto cucullo, talemque Cymmabos [a] Florentiæ fecit, anno millesimo ducentesimo quadragesimo, ad eamdemque formam imago Divini Patris trans Tiberim Romæ cernitur, & ea fortasse est, quam Paula Matrona faciendam imaginem curavit. Nec differt alia, quam Giottus Assisiis fecit, talisque, si recte memini, in Sanctæ Mariæ Majoris opere musivo est. Dubitatum est, an rubrum galerum addi Sancto Hieronymo deceret; id enim Sacræ dignitatis insigne institutum fuisse dicunt ab Innocentio Quarto, qui Hieronymo ipsi longe ætate posterior fuit.

S. Lucia.

S. Pater Franciscus.

S. Hieronymus.

F 4 Quod

[a] Extat adhuc hæc S. Francisci imago ad vivum, dum in vivis degeret, expressa, & in Ecclesia S. Crucis colitur.

Quod autem Sanctum Hieronymum fuisse Cardinalem audimus, id ita accipiendum est, quia fuerit in Presbyterorum eorum numero, quibus plus honoris, & auctoritatis in Urbe tribuebatur, cum excitus in eam Urbem fuerit a Pontifice ex Antiochia, qua in Urbe sacris initiatus fuerat. Cæterum, ego non magnopere moveor difficultate hac; quandoquidem traditus ita Sancto Doctori Galerus non significabit id ei fuisse gestamen, sed ipsum purpuræ honorem designabit, qui nostris temporibus maxime propria ea nota insignitur. Quod porro Sanctus Hieronymus Cardinalis fuerit, non alio modo commodius declaraveris, quam vel insigne dignitatis ejus addendo, vel nomen adscribendo ipsius, quem morem apud veteres fuisse Paulinus testatur. Elegantius tamen fuerit, aptiusque, & commodius, si habitu, & motu, vel actu aliquo ostenderit Pictor quisque fuerit, omissis litterarum notis, quæ id declarent. Dubitatum etiam est, an Sancto eidem Doctori figura Leonis addenda sit, ad indicandum scilicet mirificum quemdam, insignemque casum, quem qui Sancto Hieronymo accidisse nolunt, moventur ea ratione, quod Sophronius Episcopus Hierosolymitanus, Gerasimo Abbati tali quiddam evenisse tradit. Potuit tamen solitariis duobus hominibus eadem, & una res accidisse, vel si non plane eadem, simillima certe.

In Natali decimo de S. Felice.

DE

DE VARIO IMAGINUM USU APUD CHRISTIANOS.

CAPUT XII.

ID, quod nunc dicturi sumus, initio proponendum erat, si Scientiarum ordinem sequi voluissemus. Cæterum, quia sermo nobis est universus cum hominibus Catholicis, quibus non dogmata Fidei, sed pios tradere mores volumus; ideo omissa ea res est, quam tamen hoc loco attingemus, variisque Patrum auctoritatibus, atque testimoniis ostendemus, qui fuerit imaginum usus apud antiquos, & quomodo adhiberentur. Adhibuit antiquitas imagines ob varias causas, primumque omnium, ad commovendum doloris sensum, quem ob suas quisque culpas concipere animo debet, idque Sanctus Gregorius ait. Præterea insuetam Divinis mysteriis multitudinem erudiri sic posse censebant, sicuti idem Gregorius Papa scriptum reliquit. Insuper honorem eum habere volebant imaginibus ipsis, quem scholæ, doctoresque admittunt [a]; quam in sententiam Sanctus Basilius ait, non privatim solum, sed publice etiam solitum se venerari imagines, idque ab Apostolis esse traditum, & institutum. Etiam

Causa Imaginum.

Lib. 9. epist. 9. ad Serenum.

Lib. 9. epist. 9.

Epist. ad Julianum Imperat.

a Fortasse sic legendum puto. *Insuper honorem eum habere volebant imaginibus, quem prabebant iis, quos imagines repræsentabant, quem honorem schola doctoresque admittunt.*

Etiam ad grati animi officium id pertinere arbitrabantur, ut honor esset hominibus illis, qui beneficia contulissent, aitque Eusebius imaginum fortasse usum in Christianos mores esse derivatum ex Gentium ipsarum consuetudine, quæ honorem eum habere consueverint illis, unde opem, salutemque accepissent. In eadem sententia Nicephorus Callistus est. Rationem vero aliam Sanctus Basilius affert, involvitque hisce verbis, cum loquatur non tam de doctis hominibus, quam de indoctis, & ignaris. *Quam historiam sermo per auditum repræsentat, eadem pictura muta per imitationem demonstrat.* Quod vero ad sedem ipsam, locumque imaginum attinet, ait Sanctus Chrysostomus, primis Ecclesiæ temporibus solitos epulari Fideles apud ipsa Templa, ibique stratis ordine mensis accubuisse. Quæ cum ita sint, scimus etiam Templi parietes hinc inde imaginibus ornatos fuisse, laudatque morem eum epistola Nili ad Olympiodorum Proconsulem ob utilem ad indoctos quoque disciplinam. Probabilis igitur conjectura est in navi Templi media Sacras historias fuisse depictas, ut qui, vetusto more, in Templo cibum sumebant, interea dum reficerentur, defigere illuc oculos possent. Sed aliæ quoque fuere sedes imaginum Sacrarum. In ipso siquidem Ædium aditu collocabantur, prout Anastasius Bibliothecarius tradit, aitque Eusebius, statuam mulieris, quam sanguinis profluvio liberavit Salvator, in ipsius janua

Lib. 7. Hist. c. 14.

Lib. 6. Hist. c. 16.

De quadrag. Martyribus.

Homil. in dictum Apostol. epist. 1. ad Corinth. cap. XI. oportet hæreses esse, & in Commen. ejusdem loci.

Septima Synodo, Act. 4.

In vita Sergii Papæ.

Lib. 7. c. 14.

nua positam fuisse, ut miraculi monumentum esset. Jam inter ipsa tecta, & in carceribus etiam, & in summis navium partibus collocabantur, sicuti Johannes Moscus, & Evagrius, & Paulus Diaconus tradunt. Accensæ quoque lampades suspendebantur contra imagines eas, sicuti Sophronius narrat de imagine, quam in solitarii unius cella fuisse depictam ait, & Fortunatus Poeta in vita Sancti Martini meminit imaginis unius, quæ accensa lampade illuminabatur. Sed easdem adolere thure, odoramentisque aliis solebant, sicuti Germanus Patriarcha docet, idque Gentium etiam fuisse moris tradit Eusebius, & ad Simonis, Helenæque imagines adhibita fuisse odoramenta narrat, tamquam Dii essent. Denique oscula dabant etiam imaginibus, eumque veterum Christianorum fuisse morem Johannes Monachus, idemque Presbyter pronuntiavit, cum in Concilio Nicæno sententiam diceret.

In Prat. Spirit.

Lib. 5. Hist. c. 18.

In vita Sancti Martini.

Ep. ad Thom.

Lib. 2. Hist. c. 12.

Concil. 2. Nicæn. sub Adrian. 1. Act. 4. tom. 3. Concil.

DE VETERE FORMA SACRARUM ÆDIUM.

CAPUT XIII.

CUM toto hoc opere emendandos suscepimus artificum errores, qui in picturam sive sculpturam sæpe incidunt, tradendum aliquid etiam esse arbitramur de iis, quæ in ædium sacrarum structura peccant architecti.

Atque

Atque hæc pars diligentiæ nostræ cum alia cura consentiet, regulisque illis, quibus nos scholam, sive academiam trium artium istarum instituimus, ut ad Dei gloriam perfectius, emendatiusque aliquanto eas excoleremus. Jam primum igitur in Templorum structura id spectandum esse dicimus, quod etiam in omni alia re spectari oportet, ut nimirum causa, finisque respiciatur ipse, cujus causa Templa extruuntur. Hæc nimirum causa, finisque omnes Architectonicæ artis sumptus, legesque, & artificia moderabitur, ac reget. Quem locum, quamve legem, & præceptum cum variis confirmare rationibus, atque testimoniis possimus, una illa contenti erimus, quod statuis collocandis Romani veteres spaciosa, & ampla loca destinabant, ut nimirum lumina, & formæ, proportionesque locorum voluptati simul, & utilitati simulacra illa contemplantium inservirent. Ita nimirum etiam in Templorum fabrica ratio habenda est, ut Christifidelibus, quasi viventium statuarum populo apta sedes, tum precandi, tum adorandi Numinis paretur. Quæ ratio quoties neglecta est ab architectis, ii non Templa extruxisse dicendi erunt, sed sacella Gentilium, & Fana, & Delubra, quomodo profani veteres loquebantur. Antiqua Templa [a] Christianorum diversissimas inter se partes habebant, vestibulum nempe, & ab utraque

[a] Vide epistolam s. Paulini ad Severum, & P. le Brun.

utraque parte porticus, & exedras, & ædiculas, & ſanctuarium, chorumque, & Sancta Sanctorum. Mediam præterea navium oblongam, & brachia, quæ ab utraque parte pandebantur, quæ ſacræ fabricæ deſcriptio apud Euſebium, & apud Gregorium Nazianzenum fuſe explicata eſt. Neque vero temere ſic majores inſtituerunt. Nam alioqui, nec Ordines eccleſiaſtici, nec populus ipſe ſuis ſedibus, & locis diſtingui potuiſſet. Non enim virilem tantummodo ſexum ab altero ſexu, ſed Virgines quoque, & nuptas, & Energumenos, & Neophytos, & pauperes, & piaculo alicui obnoxios ſua in ſede ſeparatim collocabant; quæ diſcrimina certe non caderent in Templorum formam, quæ hodie ædificantur. Habenda quoque ratio eſt, ut ad veterem Templorum formam ſimilitudo fabricæ hujus dirigatur, ut nimirum Templi Salomonis imago; quatenus ritibus noſtris expediat, cuſtodiatur. Id enim Templum conſtabat ex iis, quas dixi partibus, ibique varii mortalium ordines ſuam quique ſedem habebant. Aptiſſima Eccleſiaſticis uſibus forma Templorum ab Clemente Romano deſcripta eſt, in navis nempe ſimilitudinem, quæ oblonga, varieque diviſa eſſe debebit, ut miniſtri ſacræ Ædis in ſua quique munera dividantur, ſicut in nautico miniſterio fit. Quæ ubi architectorum inſcitia, vel injuria neglecta ſunt, damna plurima conſequuntur, illudque præcipue, quod neque ſacerdotes ab cætero

Lib. 10. c. 4.
Orat. 19. in funere patris.
Lib. 2. Conſtit. c. 57.

ro

ro populo, neque ſanctiora loca ab reliquis Templi partibus majeſtate, dignationeque ulla diſtinguuntur. Scio, recens hoc eſſe inſtitutum, ut poſt aram maximam ſacri ordines ſedeant, Populus vero reliquus in conſpectu aræ, & circa aram maxime ipſam degat. Non ita majores noſtri, quibus ſcilicet placuit, ſacroſanctas res ab multitudinis oculis quam longiſſime removere. Ita Choro, & presbyterio, & parti, quæ Sancta Sanctorum dicitur, partem Templi mediam [a], ceu nobiliſſimam, & maxime illuſtrem deſtinavere. Circa partem vero eam ſacri primum ordines, deinde populus ipſe per gradus etiam ipſos, ordineſque circumſtabat. Hanc veterem formam immutatam eſſe cenſeo architectorum ipſorum licentia, dum primos Templi ingreſſus, atque proſpectus eſſe quam auguſtiſſimos volunt, quod cum facerent, non intellexere obſcuriori in parte collocatum ab ipſis eſſe veluti Dominum domus, præcipuoſque ejus adminiſtros, partem vero ampliſſimam minutæ plebi eſſe relictam. Peccatur etiam in eo, quod ſedendo poſt aram ſacerdotes ad occidentem ſolem ſpectant, non autem ad Orientem, quod antiquis Eccleſiaſticæ diſciplinæ præceptis repugnat. Non interea conſpicitur a populo clerus, qui occulta illa in parte, anguloque obſcuro licentius aliquanto agit motu, colloquiiſque, quam ageret,

Architectura immutata.

[a] Ut etiam nunc videre eſt in Eccleſia s. Clementis hujus almæ Urbis.

ret, si in adstantium oculis staret, quæ ipsa testis, & objurgatrix licentiæ alioqui timeretur, modestiæque incitamentum esset tam amor virtutis, quam ignominiæ verecundia. Peccatur autem in sacrarum Ædium fabrica contra leges Ecclesiasticas, dum Pastores animarum, ipsique sacerdotes, quibus potestatis, intelligentiæque aliquid erat, permittunt omnia fabris, & architectis, ut agant, instituantque cuncta arbitratu suo. Non sic in structura Templi maximi hujus urbis, quam sanctus Carolus voluit quidem apta dimensione, architecturæque provisu, & elegantia omni constare, sed ita tamen ut ars ipsa ad Ecclesiasticos usus accommodaretur, eisque inserviret. Architectus tunc erat vir sane eximius, Peregrinus nomine, natus obscuro in pago Vallis Soldæ, qui tractus universus Ecclesiæ Mediolanensi subjectus est. Cernitur adhuc eo in Pago tectum humile architecti hujus, quod eleganti sane spiritu ipse, postquam opes habuit magnas, minime demolitus est, minimeque palatium in vestigiis extruere illis voluit, sicuti quispiam alius fortasse fecisset. Tantum rudia quædam veluti nascentis artis ornamenta addidit, tamquam ejus artis incunabula ibi ostentaret. Id ego cum viderem, conjecturam ex eo etiam feci, quantus ille vir fuisset. Peregrinus iste, puerili ætate profectus Romam, forte inter alios Michaelis Angeli pueros est receptus, & fama est attonitum ejus ingenio summum illum artificem exhor-

Templum Maximum nostræ urbis.

Peregrinus architectus.

exhorruisse. Discessit deinde ab Michaele Angelo Peregrinus, Magistri sui memor, picturæ simul, & architecturæ studia frequentavit, ita tamen ut ferro, statuisque abstineret, quasi tribuens Magistro, ne tentaret id, quod ille fecisset. Utriusque artis monumenta per Italiam, alibique etiam spectantur, & grata erga viri memoriam patria ipsius fuit cum ea tantum justa fortasse querela, quod nihil pinxerit in patria. Sed commune fere omnium est, ut spes suas longas ultra vitæ terminos extendant, unde acerba semper poma in arbore hac relinquuntur.

FEDE-

FEDERICI CARD. BORROMÆI

ARCHIEPISC. MEDIOLANI

LEGES

OBSERVANDÆ IN ACADEMIA, QUÆ DE GRAPHIDE ERIT.

NON aliqua nobis humana caufa fuit inftituendi Scholam, five Academiam hanc picturæ, & fculpturæ, architectonicæque artis, fed animo noftro propofitum fuit, ut erudirentur artifices ad divini cultus opera, & aliquanto meliores in eo genere artes eas faceremus. Nam fatis conftat, pictores plerofque, & fculptores, & architectos, quia non funt inftructi, vel præceptis, vel pietate, quam ad hujufmodi facrarum rerum artificium afferre deberent, fæpe labi turpiter, & divina myfteria, profanofque cafus, facrata Templa, & domicilia mortalium, abfque ullo facri, profanive difcrimine, vel pingere, vel architectari, magifque communes artis regulas fpectare, quam locorum, & temporum, & rerum ipfarum religionem, atque fanctitatem. Quamobrem hujus noftræ Academiæ inftitutum effe volumus illud etiam, ut peritus aliquis differat non folum de ipfa pin-

gendi, vel sculpendi disciplina, sed de Christianarum quoque virtutum officiis; quos sæpe sermones audiendo, artium istarum homines ad pietatem, & religionem informentur. Hos mysteria sacrosanctæ nostræ Fidei probe cognita habere oportebit; quorum quidem cognitio ad perfectionem artium haud parum refert. Nam sicuti alienum, atque absurdum esset, libros edere plenos errorum, qui ad corrumpendam vitam pertinerent, atque libros ejusmodi supprimi oporteret; ita in hac imaginum, atque ædificiorum velut editione, cavendum est, ne quid emanet, quo mortalium animi in fraudem, & errorem inducantur. Hoc nobis in hac pastorali cura, divinarumque rerum administratione propositum fuit, atque id spectavimus, cum generis hujus disciplinam, magistrosque, & discipulos institueremus; atque scripsimus has ferme Leges.

Præsides, sive Conservatores Academiæ, sex erunt, nempe quatuor Ecclesiastici, Laici duo, hique talium rerum intelligentes esse debebunt, & artium liberalium studiosi. Sit in eo numero unus aliquis ex Conservatoribus Collegii Ambrosiani, & ipse Bibliothecæ Ambrosianæ Præfectus. Hæc loca perpetua erunt, & in demortui locum, superstites eum sufficient, qui pluribus suffragiis probatus erit. Si Collegii Ambrosiani conservatorem, aut Bibliothecæ præfectum in eo numero mori contigerit, eligendi successoris jus, atque potestas

ſtas penes Collegium Ambroſianum eſto .

Conſervatorum cura ſit legibus Academiæ cuſtodiendis . Magiſtri , diſcipulique, judicio & arbitrio ipſorum eligentur . Eorumdem cura erit , ut interſint ſermonibus illis , quos magiſtri apud diſcipulos habebunt , eaque cura in orbem per ſingulos ibit .

Magiſtri tres erunt ; Picturæ unus ; alter Statuariæ, tertius Architecturæ. Hi præter artis excellentiam , habilitatem etiam habere illam debebunt , ut loqui de arte ſua , & ejus præcepta complecti verbis poſſint . Electio numero ſuffragiorum conſtabit , ut , qui plura tulerit , is in Academiam admittatur .

Diſcipuli ne plures , quam quatuor & viginti, recipiantur . Hos mediocriter ſaltem exercitatos eſſe oportebit , & bona ſpe , atque indole commendatos . In eorum electione , Conſervatores teſtimonia , & judicia magiſtrorum exquirent , ſimulque omnes conſervatores , & magiſtri de ea re in ſuffragium ibunt .

Liberum ſit diſcipulis , tum relinquere Academiam , tum in ea perſeverare , prout volent. Conſervatoribus item , & magiſtris liberum ſit , vel dimittere eos , vel retinere .

Exercitationes , & ſtudia Academiæ , hæc erunt : Varias humani corporis partes ad vivum effingere: facere anaglyptica , ſive eminentia opera , & ea delineare , illuſtriumque pictorum tabulas , & ſigna exprimere .

Certis temporibus Magiſtri de arte ſermo-

nem habebunt, tractabuntque locos eos, qui tractandi assignati erunt. Verborum effugient vanitatem; rem ipsam graviter, ac sincere persequentur, itaut auditores artium istarum arcana facile cognoscant.

Nemo, sive discipulus, sive magister ad ea, quæ disputata erunt, in ipso consessu quicquam dicet: si quam forte dubitationem habebit, consulat postea privatim, & proponat.

Præter ipsa artis præcepta, interioremque disciplinam, concessa erit etiam aliqua subinde disputatio de coloribus, & eorum mistura, omnique artium istarum instrumento.

Quædam singularia præcepta tradantur ad historiarum picturam, atque dispositionem, habitumque corporum, & figurarum. Neque artificii tantum excellentia, sed veritas etiam ipsa rerum spectetur. Ante omnia, cura, studiumque erit in eo, ut tam sacra, quam profana repræsentantes, honestatem servent, atque decorum. Ecclesiastici ordinis aliqui periti, atque intelligentes, studio, & curæ huic præsidebunt.

Sermones habebuntur in Academia diebus etiam festis post divina officia, si quidem academicis ita visum erit. In tabella descripti erunt dies festi minus solemnes ad celebrandos hujusmodi conventus, habendosque sermones. Tabellam eam mutari quotannis oportebit, prout academici, & festos illos, & profestos alios dies ad conveniendum statuerint.

Gra-

Graphidis, atque conformationis opera nulla festis diebus fient, sed aliis diebus, ea hora, eoque loco, quem Academiæ ipsius magistri destinaverint.

Certa statuatur dies, qua magistri simul, & discipuli cum aliis harum artium studiosis hominibus conveniant, & in eo conventu, magistri discipulorum opera inspicientes, ei, quem cœteris antetulerint, præmium decernant.

Magistris ipsis honorificum aliquod munus quotannis detur frequenti Academiæ conventu, eademque frequentia servetur in discipulorum donis. Dona porro ipsa collegii Conservatores ea summa parabunt, quam volent.

Academiæ habendæ semper intersit Bibliothecæ præfectus. Studia Graphidis cum exercebuntur, poterit ejus loco interesse aliquis alius ex bibliothecæ ministerio.

Claves duæ sint impositæ cubiculis, in quibus picturæ, & signa, tabulæque servabuntur. Eæ claves apud Bibliothecæ præfectum erunt.

Ne cui detur ejusmodi aditus ad signa, tabulasve, ut papyro imposita, lineamenta excribere, ac referre possit; quæ dilucidatio pictoribus nota est. Non item effingere tabulas cuiquam liceat, nisi Academiæ totius consensu, & permissu. Id autem cui permissum erit, is ne suo loco movere quicquam possit.

Si pecuniæ aliquid insumendum erit, ut aliquis sese nudum pictori, vel sculptori præbeat, ea pecunia suppeditetur ex collegii ipsius ærario.

rio. Quantum autem vel in id, vel in usus alios insumi debeat, Conservatorum tantum arbitrium esto.

Quoniam virtus est inimica lucro, minimeque quæstuosa, ideo procul absit ab Academiæ moribus, & institutis illa consuetudo, ut aliena opera recognoscentes, atque indicantes tributi nomine quicquam exigant, cui tributo Paratici nomen inditum est. Non item quovis alio nomine judicium suum in alienis operibus interponant. Majora enim, & nobiliora quædam proposita esse hominibus nostris debebunt.

FE-

FEDERICI
CARD. BORROMÆI
ARCHIEPISC. MEDIOLANI
MUSEUM.

DUM nuper ego tabulas, typosque, & signa contemplarer, quæ in Bibliothecæ Ambrosianæ ædibus ad id ipsum extructis nuper collocari jusseramus, propius accessere ex familiaribus nostris studiosi homines duo, & veluti inscrutantes, nonne pulchrum, elegansque foret opus, inquirunt, si hæc omnia eximiæ artis monumenta, quæ congesta in hanc sedem videmus, expressa, & delineata stylo extarent? Statim id, quod dicere volebant, intellexi, adeoque placuit res, ut hilari vultu, & consilium eorum laudarem, & primo quoque tempore ipsorum desiderio me satisfacturum esse pollicerer. Post aliquot deinde dies, subeunte animum meum recordatione sermonis, consiliique ejus, quotidie magis res ea placebat, tacitusque probabam id, quod homines mei forte suadere voluissent: Memineram enim, fuisse apud veteres hanc curam, ut præstantissima quæque picturæ, vel statuariæ, vel architectonices opera styli etiam ope conservarentur, duplicemque ita viverent vitam, & eam scilicet, quam artificum ingenia *Occasio operis.*

de-

dedissent, & eam, quæ beneficio litterarum veniret. Eventusque postea monstravit ipse, posteriorem hanc priore illa vita fuisse diuturniorem. Cum enim Urbes totæ, non palatia tantum, & musea conflagrarint, incendium, clademque vitavere latentia in obscuris, ignobilibusque locis monumenta litterarum, & receptaculis abditæ vilibus memoriæ triumpharunt arcus, pyramidesque excelsas; & portentosa alia ludibria opum humanarum. Collabuntur in ruinas altæ ædium moles, dissolvitque substructiones pontium vetustas, & humi sternit comminuitque Obeliscos, cum interim infelicium etiam litteratorum, non illustrium tantummodo, & inclytorum scripta vitant cladem, & in media rerum humanarum tabe sempiterno quodam ævo perfruuntur. Magnas in sua arte palmas tulere Praxiteles, Phidiasque, & sui uterque generis culmen obtinuere. Sed unde gloriam eorum hodie conjectaveris, nisi inclusa, & conservata libris extaret? Edax dies cuncta fere eorum opera absumpsit, & vix reliquiæ ullæ tantorum artificum extant. Hanc tamen utique jacturam sarcit industria scribentium, tantæque cladi stylus medetur, ita ut eximia opera, quæ tot ante annos periere, vivant adhuc in hominum oculis, & nondum exolevisse videantur. Adeo potuere scriptores restituere singula lineamenta, & ductus, certamenque mirificum styli cum penicillo, vel scalpro exhibuere tam felici even-

Damna incendii & temporis.

Utilitas styli.

eventu, ut incertum reliquerint in hominum animis, utri parti victoria adjudicanda esset. Opus hoc instituenti mihi Plinius in primis est ante oculos, non quidem imitandi destinatione, quæ operis initio stolida nimirum, audaxque foret; sed ob excellentiam, altitudinemque exempli invitis quodammodo nobis scriptor ille obversatur, veluti si sanctissimorum Hominum exempla spectent, atque intueantur qui longissime a tanta perfectione absunt. Exempla enim ejusmodi vulnerant, confunduntque animos, exprobrant vitia, & culpas, & totius vitæ censuram agunt. Quod si nonnumquam ad illius unici Scriptoris similitudinem in aliqua operis parte adspirare visus fuero, nequaquam id assequendi spe fiet, sed ut perfectissima quæque consectando, minus vitii contraxerim, quæ omnium excellentissimarum rerum nota conditio est. Ita enim etiam in omni republica oportet probus admitti, ut similes optimis fiant, ne pessimi, deterrimique videantur. Atque imitatio tamen ista, simile quiddam erit, veluti cum naturam ars longo intervallo assequi conatur. *Plinii exemplum.*

Ordo libri non erit alius, quam quem ipsa dispositio Tabularum dederit; neque tabulæ ipsæ ordine sunt alio collocatæ, quam quæ opportunitas, necessitasque loci, casusve aliquis tulit. Neque vero suscipimus hoc, ut cuncta, quæ vel picturæ, vel statuariæ artis illustria opera in Museo nostro asservantur, litteris *Ordo libri.*

ris hisce repræsentemus; sed præcipua tantummodo quædam amplectemur, memores etiam, Virgilium in tradendo agrorum cultu, nequaquam omnes agricolarum labores, solertiasque exequutum fuisse, sed ea delegisse tantum, unde majorem laudis, & gloriæ fructum speraret. In Museo hoc nostro sunt tabulæ, sunt typa, & ectypa ex nobilissimis antiquorum operibus expressa: sunt illustrium virorum imagines, præter tabulas eas, quæ historiam aliquam, argumentumve singulare complectuntur. A tabulis incipiemus, quarum prima sese offert illustriore petito loco.

Titiani opus. Magi Salvatorem infantem adorantes: celebre Titiani opus, cui artifex ille præcipuo studio adlaborarat, ut Cardinali Estensi Seniori gratificaretur, qui Regi Galliæ Francisco Primo munus hoc parabat, ac de ea re fortasse a nobis alibi dictum est. Mortuo postea Estense illa tabula ad sanctum Carolum Borromæum pretio coempta devenit, sicuti magnarum domorum ornamenta fere distrahuntur argento, dissipanturque nihilo meliore conditione, quam Principes ipsi, quorum cadavera vermes absumunt. Sed tabulam hanc satis attenta custodia comitata est, donec post sancti Caroli excessum jussu nostro emeretur. Satis ampla magnitudo tabulæ est, & pro multitudine rerum, quæ ibi expressæ cernuntur, pictorum studiis admodum utile opus, ex quo tamquam Amaltheæ cornu pleraque haurire ac petere leges possint. Amplecti-

plectitur enim varios hominum vultus, & multiformes animalium figuras prospectusque terrarum, & non nihil etiam ex architectorum subtilitate, & arte. In terrarum tractu Titianus eximia, qua pollebat arte, est usus, artificemque talem, qualis vere fuit, vel inde agnoscas. Nam qua finium, & cæli extrema, ultimaque montium, & camporum ora confunduntur, atque miscentur, dedita opera oblitam tantum nullo superinducto colore telam reliquit, ut illa inchoati operis lacuna oculorum allucinationem repræsentaret, cum nimis longinqua intuentes oculi falluntur, atque aberrant. Ita artifex ille confusionem rerum expressit non arte qua pictores nostri circa eam laboriose, & anxie utuntur, sed res ipsas confundendo, ac miscendo campum nempe, & linitionem, & linteum, & rudes quosdam colores, ut ea omnia magna artis loco essent; insigne sane documentum, excellentiam in omni genere nec ostentari si desit, nec tegi posse si adsit. Hæc porro numerosa tabula discentibus multarum tabularum esse instar potest, unde proficiant. Federicum Zuccarum, qui nostris temporibus graphidis tantummodo gloriam est assecutus, ajebat egregiam laudem esse pictoris, si ad omnia quæ pingi possunt facienda promptus foret. Nam quosdam ajebat, reperiri adeo jejunos, ut pingendis tantummodo hominibus assueti, si spatia montis, terræque aliquæ repræsentanda sint, vel ad alienam opem

pem confugiant, vel tam absurde hoc munere defungantur, ut partem eam corrumpant, si quam tota tabula laudem meruisset. Recte sane Zuccarus ajebat in qualibet unius artis parte mediocrem saltem oportere esse artificem; ipsasque partes volebat convenire cum toto, ne alibi decus, & elegantia, alibi deformitas, & turpitudo spectaretur; sed partium omnium excellentiam intra angustos etiam cujuslibet artis fines sanæ mentis homo nullus spectaverit, cum assequi non detur. Ac subit hoc loco veterum pictorum modestia, qui sicuti apud Plinium est, de partibus iis, sibi invicem cedebant, in quibus quisque excelleret, neque minui eo famam sibi existimabant. Sub nostram hanc sane ætatem, Titianus colorandi, & imitandi gloria ceteris antelatus, ad graphidis officia minor habitus est; quodque magis mirere, Michaelem Angelum in pingendis pedibus, Raphaelem circa capita, & summum humani corporis culmen adeo eximios fuisse contendunt, ut antiquitatem in certamen vocare ipsam possint. Raphaeli vero etiam in oculorum obtutusque vivacitate palma tributa est. Monentque ea ratione promptos ad obtrectandum homines, ut tam in hac, quam in omni alia arte, sese æquiores præbere velint, vituperentque ea tantummodo, quorum laudari nihil potest. Ceterum inter animalium figuras, quas artifex tabula ista dispersit, insignis pulchritudo est equi albi, qui dejecto ad crura capite,

vel-

vellicantem ibi muſcam abigit, mira imitatione naturæ, cujus exprimere motus optime omnium Titianus potuit; ac magiſtrum fortaſſe generis hujus eum merito quis appellaverit. Nam etiam natura effuſe faverat ei; cumque multum induſtriæ ſuæ debuerit, longe plurimum tamen debuiſſe naturæ creditus eſt, adeo quidem, ut Michael Angelus hanc ejus dotem admiratus, & aliis omnibus virum, & ſibi fortaſſe præferret, agnoſceretque vel hoc nativo munere ſuperiorem æmulum. Cujus ſane muneris magna in utramque partem momenta habentur, veluti cum in præliis æquitas, iniquitaſve loci victoriam, ſive cladem dedit. Teſtatur hæc tabula id ipſum, quod antea dicebamus, neminem unum omnibus poſſe rebus excellere. Nam Deipara virgo, & Salvator infans nequaquam ibi conſummatiſſimæ artis ſunt, totamque artificis curam in obſcuriore illa lixarum, & ſervorum turba occupatam fuiſſe apparet, qui Magorum comitatum ſequebantur. In ea turba puer Æthiops cernitur atricolor, cujus nigritiem obſcuritas circumfuſa abſorbet, itaut figura ea modo fugiat oculos, modo ſe offerat rurſus per dubia lucis intervalla. Namque a parvis initiis egreſſa ars, in tantum progreſſa eſt, ut depingantur etiam ea, quæ pingi non poſſunt, mutatio nempe, ac motus venientis, diſcedentiſque.

In eadem aula cernitur aliud Titiani opus, *Titiani altera Tabula.*
Tu-

Tumulus nempe Salvatoris, sive depositus e Cruce Salvator. Consummatæ artis cernitur Christi pectus emortua carne provocante naturam ipsam. Magdalena adest summum exprimens animi dolorem, & amore consumpta, vivacissimo interim spiritu; quæ omnia, ut exprimeret artifex, integra juventa florentem fecit, Evangelicæ Historiæ veritatem interea fortasse transgressus. In ea tabula Nicodemus laudatur negligentia, quæ senem deceat. Sanctus Johannes cum Magdalena certare videtur affectu. Hæ duæ figuræ cum omnem mœstitiæ imaginem consumpsissent, difficile opus restabat, ut sanctissimæ Virginis dolor digne ostenderetur. Ideo Titianus veterem illum, excellentissimumque pictorem dissimili invento imitatus, Deiparam fecit inter mortui Filii brachia osculo hærentem, tenebrisque circumfusam. Ita plus ostendit, quam pinxit, protulitque etiam ea, quæ occultavit.

Titiani alterum opus. Contra Titiani tabulam hanc, pendet in adverso pariete tabula altera artificis ejusdem, quæ licet ejusmodi sit, ut ex eadem officina prodiisse videatur, documento tamen esse potest, perinde penicillum, atque stylum fatigari quodammodo, & infringi, rem tractando sæpius unam, posterioresque conatus cedere prioribus curis. Apparet, saturum gloria, fessumve labore artificem ea pinxisse. Facilitas tamen operis, & quædam in graphide securitas laudem habent. Cetera sunt facta tam oscitanter,

ter, ut Titianum etiam ipſum negligentiæ ſuæ conſcium fuiſſe dicas, cum ea faceret. Ea ipſa incuria auctoritatem operi addere poteſt, magiſque rudes artis, quam periti tabulam hanc improbabunt. Diſpar incuria tabulam in vicino aliam commendat, cum manus, quæ eam fecere, ignorentur. Si graphidis excellentiam intueare, dicas Georgionis eſſe, non Titiani opus; ſi vim in colorando mirificam ſpectes, non Georgioni, ſed Titiano adjudicabis. Ita anceps inter duos gloria, benigne inter utrumque communicatur. Continet Virginem Deiparam cum Infante ſuo, Angelumque, qui puerulum Tobiam tenet manu; atque itineris argumento præit Angelus pleno gradu, quem æquare curſu puer conatur. In ea autem properi inceſſus imagine duo quædam mirifice artifex expreſſit. Nam & Angelum fecit in corporis agilitate pluſquam humana, paſſus attemperantem ſuos ad pueri imbecillitatem, & puerum Tobiam anxio, laborioſoque greſſu minime æquantem curſum; ideoque velut ſupplici vultu expoſcentem opem a Duce ſuo.

Titiani duæ aliæ tabulæ.

Titiani item eſt Virgo cum Infante, Catharinaque ad lævam virginali habitu, tenerrimeque expreſſis membris. Ejuſdem argumenti tabula alia eſt Titiani manu, in qua Salvator Infans reliquæ pulchritudini operis minime reſpondet, ſicuti parvulus Johannes artificii magnitudine cuncta ibi exuperat.

Baſſani Senioris tabula.

Veneto Titiano prope conterminus patria

ſenior Baſſanus, etiam hac tabularum ſerie finitimus ſeſe offert, ſolemnis ille pecudum pictor, ſimul genus illud ſuum exercens, ſimul calumniam propulſans, quod animalia tantum pingere didiciſſet. In tabula namque hac illuſtri maxime loco, præcipuoque lumine paſtorem fecit ſumma arte elaboratum, eaque figura ſuperaſſe ſeipſum eſt viſus. Sed acrius ille repreſſit calumniam grandiore alia Tabula, in qua Deipara ulnis Infantem tenet. Retro varii generis animalia ſunt. Juxta Virginem, ad lævam ſponſus Joſeph ſedens humi, tanquam annis, & itineris labore ſuccumbat. Reclinato in manum alteram capite, Infantem adſpicit, laudanturque in ea figura paternus affectus, & feſſa ætas cum ſimplicitate quadam ad vivum expreſſa. Simul videre eſt familiarem uſum, & ſenis cum infante, & infantis cum ſene. Has, de quibus adhuc dixi, tabulas artifices pinxere, quos nominavi.

Sed quod video faſtidioſos quoſdam, & ſuperbos, eaque ſuperbia, & faſtidio acerrimi judicii famam quærentes, ſtatim ubi tabulam aliquam adſpexere ex hujuſmodi exemplaribus quamvis exquiſite expreſſam, contemnere ſtatim, & abdicare id opus; hos alloqui parumper operæ pretium puto. Alloquar autem, itaut dicam nimis fluxas eſſe res omnes humanas, & breviores, momento corrumpi cuncta, & dilabi. Adeo optabile fuiſſe hominum generi, ut quemadmodum ad ætatem noſtram perve-

venere transcripta veterum librorum exempla, ita etiam exempla illustrium tabularum pervenire potuissent, eamque operam priorum industria navasset ætati sequutæ. Quanti pretii foret hodie Apellis sive Zeuxis pictura aliqua expressa, & custodita coloribus alienis? Quantum momenti ad excolendam artem exempla ea afferrent? Quanta cum jucunditate utilitas foret? Quantum etiam lucis ad difficilium locorum, ac Plinii præsertim, interpretationem inde peteretur, si subjecta essent oculis ea, quæ nudis ille verbis describit? Laudabile igitur est inventum hoc exemplum desumendi, si quidem tria præsertim ista custodiantur, quæ nobis in nostra exemplorum copia cordi fuere, ut nimirum & exemplaria perfectissima sint, & summa diligentia exprimantur, nec promiscue omnia, sed ea tantum, quæ vel jam corrupit ætas, vel ob infestum aliquem intercidere, ac perire posse videantur. Illustrium tabularum exempla, quæ sunt in Museo nostro, dedimus operam, ut ad hanc normam, legemque exigerentur, poteruntque ipsa exemplarium olim esse instar, quamdiu quidem vetustati resistent. Est in eo numero Isaias propheta, inclytus ille Raphaelis, qui quoniam in pariete depictus est, magis obnoxius injuriæ temporis erit. Adest Colossea, sive prope gigantea figura, tanta graphidis arte, ut omnes huc spectare pictores debeant. Adest Æneas sublatum in humeros patrem in noctur-

Tabulæ expressæ ex illustribus exemplaribus.

no illo memorabili tumultu eripiens captivitati vel neci, membraque vieta & effœta senis cernuntur, micatque sub pondere generosa indoles filii parentem ferentis. Adsunt Sibyllæ, propter quas Templum Pacis Romæ visitur. Harum exempla custodivisse, artis interfuit, antequam figuræ evanescerent; evanescunt enim jam fugiuntque ex tectorio, & tanti operis mox vix reliquiæ ullæ extabunt[a]. Nos igitur, cum vicinam eam cladem in parietem illum intentis oculis spectaremus, & quamdam audire vocem videremur artificis exposcentis opem ad monumenta illa sua retinenda, commoti sumus, ut exprimi ea mandaremus. Summum Raphaelis artificium in eo Sibyllarum opere fuit, effecisse, ut feminarum corpora masculi spiritus quiddam haberent, interimque sexus imaginem non solum habitu, sed lineamentis etiam præferrent. Plane dicas esse illas in sexus confinio, & ab naturæ suæ extremis, ad initia naturæ robustioris vergere, atque inclinare. Juxta has duæ aliæ sunt Sibyllæ, quibus nequaquam prosperrime accidit, ut ea regione collocarentur. Minuit enim obteritque gloriam comparatio. Sunt Luini senioris egregium sane opus, si seorsim starent. Nunc oppositæ prioribus illis obscurantur. Optimum earum pulcherrimumque fortasse illud est, quod elegantia formæ lasciviam excludit, ignota nostris fortasse pictoribus arte, quia divinæ humanæque

[a] Fuerunt colore superinducto nuper deturpatæ.

næque pulchritudinis discrimen ignorant. Coronata stellis, spectansque Deipara cælum, & illuc assurgens, incly ti Correggiensis opus fuit. Fuit, inquam, quia cum Parmæ in pariete forte ille pinxerit, jam fere fugit oculos figura, brevique dilabetur, nisi exemplo hoc nostro retenta erit; quo quia commodius nullum extat, perinde id æstimamus ac si exemplar ipsum esset. Carragiolorum Frater alter imaginem hanc ex pariete expressit, & fuit Carragiolis illis auctoritas inter primos. Corregiensis item opus est tabula alia, quam vulgo Cingaram appellavere. Hanc quoque Carragiolorum unus expressit, vidimusque Parmæ exemplar ipsum detritum adeo & corruptum, ut brevi periturum esse suspicaremur. Corrupit ejus operis gloriam artifex ipse decoris leges violando, tribuendoque latrunculæ Ægyptiæ habitum Virginis. Attentior ad decoris custodiam Luinus ille, de quo dictum est, Salvatorem fecit primo ætatis flore, nihil imminuente majestatem. Namque XVII. sive XVIII. annum præfert salva majestate. Includit etiam parvula arca scriniumque sex raræ artis opuscula, quorum unumquodque, cælari & marginari argento meruit, sicuti gemmarum pretiosissimæ includuntur. Salvatoris caput exquisitissime minio illitum Julii Clovii manu. Deiparæ caput, artifice Luino; quo opere diligentia consumta esse omnis videtur. Johannis Brugueli manu sunt tenuissimæ molis opera, complexa *Opus Clovii. Luini. Brugueli.*

 quid-

quidquid fere in arte magnificum, præclarumque est, ut magnitudinem uno tempore & subtilitatem admirari possis. Christi passionem repræsentant extremo diligentiæ conatu; quæ propria artificis illius fuit celebratæ per Europam famæ, & familiaris olim nostri, cujus opera sæpe usi sumus, ejusque mentio deinceps recurret. Fuit in suo genere mirificus, potuitque corpusculis illis inserere tam generosos, vividosque spiritus, ut incertum relinquere videatur in spectantium animis, alta ne, an humili dimensione incluserit tenuium earum figurarum modum. Videtur penicillo suo per cuncta naturæ voluisse pervagari. Pinxit enim, sicuti postea demonstrabimus, maria, montes, antra, specusque subterraneos, & omnia ista spaciis disjecta immanibus, in angustum coegit, naturam ipsam imitatus non coloribus tantum, sed etiam facilitate, quæ sicuti naturæ, ita etiam artis summum decus est. Quæ si fortasse cuipiam nimis effusa laudatio videtur, sciat tantam olim fore famam, nomenque viri, ut parce ac restricte laudatus videri possit. Ejusdem manu cernitur hic irati maris atrocissima tempestas, cujus aspectu quilibet inhorrescit; itemque hiemis facies, in qua nivium etiam, & emortuæ naturæ rigor placet. Fecit is quoque Danielem in Leonum septo, circumlambentibus bestiarum linguis, quarum artificio Bassanum superavit, ab ea quoque parte mirificus, quod multitudinem hominum ita confuderit,

derit, ut in confusione ipsa ordinem agnoscas. Juxta est Salvator, quem plerique tribuunt Andreæ, qui Sutoris est dictus: egregium utique opus, & sine fine laudatum.

Sed ad Bruguelum cito redire nos cogit multitudo operum ipsius. Occurrunt namque quatuor tabulæ, quas efflagitatu meo fecit tanto successu, ut laudandi finem facere nequeat, qui munus hoc susceperit, & earum unaquæque suam commendationem habet, cum simul omnes admirationi esse possint. In descriptione maris & aquarum ita varii generis piscatus expressit, ut non minor piscandi, quam pingendi artifex fuisse videatur; conchasque naturæ ludum, & ejectamenta maris summa sua laude veluti collegit, & ostentavit. Finitima tabula terræ elementum amplexus, repræsentavit squallida loca, solitudinesque vastas, & frequentes arboribus silvas, prospectusque longinquos; & animalia, quæ tellus alit, cum fastu Leonem, cum pennarum pompa Pavonem, cum sævitia Leopardum, & Lupum. In ignis elemento, quia sterilis voracitas naturæ illius nullam artificii copiam dabat, cuncta Cyclopum ingenia, ferventesque officinas exhibuit, adjectis etiam Vulcani, Saturnique fabulis, quas saxi unius hiatu monstravit, quo plus dignitatis inventio haberet. Aera ceu campum lucis omni jucunditate circumfudit; ac si comparationis causa dicendum est etiam aliquid, postrema hæc tabula omnem artificis consumpsisse

Brugueli alia opera.

ſe ſolertiam videtur, ſicuti laboris etiam ordine ea conſumebat opus. Nullum ibi proſpectum fecit, ne tantopere diviſa miracula minus valerent, idque fortaſſe unum defuit ad abſolutionem artis.

Plane nihil in Muſeo erat, quod cum opuſculis hiſce compararemus, niſi numeroſiſſimam florum varietatem amplexa Corona, quam potius arcum triumphalem dicas, pari ſtaret gradu. Inſident floribus aviculæ, floreſque ipſi peregrina cernuntur facie; cum noſtratibus haud quaquam artifex contentus fuerit. De imagine, quæ ſerto includitur, dixiſſe nihil attinet, quia minorem lucem tot circumfuſa lumina exſtinguunt.

His Brugueli tabulis finitimæ ſunt tres miniati operis tabulæ, quæ præter omnes exquiſitiſſimæ diligentiæ numeros, amplitudine etiam ſua celebrandæ ſunt, cum nihil fere tam late minio ſublimatur. Junctus eſt Tobias ex duobus coloribus albo & atro, quod Tobiam ſuum facienti Luino exemplar fuit, operiſque magnitudinem illius præfert. Miniata illa, quæ dixi, fecit Hieronymus Marcheſinus artis ejus homo, qui domi noſtræ aliquamdiu eſt moratus. Et artis ejuſdem Auguſtus Decius tabellam fecit, quæ proxime ſequitur. Cryſtallini operis, quod proxime ſuccedit, referre velim auctorem, ſimul ingeniumque & originem picturæ ejus, ſed neque quis pinxerit, neque quomodo pingi cryſtallum cœptum ſit, invenire potui. Novitium certe inventum, in

Hyeron. Marcheſini miniata opera.

cujus

cujus contemplatione hæret animus, dubitatque fcalpro ne an penicillo artifex ufus fuerit. Nullo loco vulneratum vitrum cernitur, monochromato pictum eft, & molli fubtilitate artificium omne vincit. Sed ut minutarum etiam inter fe rerum pugna cernatur; fecit Bruguelus in membrana murem, & rofæ alabaftros aliquos, beftiolafque nonnullas; quam ipfam inter alias defcribere & defignare membranam volui, ut intelligeretur ejus pretium hoc ipfo, quod mures etiam in ea placent. *Brugueli Muf.*

Atque ut ab infimo, & viliffimo animalium, ad æternæ lucis; cœlique contemplationem transfgrediamur, proxima tabella eft amœniffimi argumenti; paradifus nempe & Deipara, quæ a Ciftella cognominata eft. Paradifum fecit Rathamerus Belga, florefque Bruguelus addidit. Deiparæ exemplar fecerat Corregienfis, fumptumque inde exemplum hoc Hieronymus minio lenivit, vicitque, ficut multi opinantur, exemplaris illius gloriam, quod mihi quoque ita videtur. Pars tertia Salvatorem parvulum habet agno colludentem tanta teneritudine; ut ab artifice Luino Seniore, nihil umquam factum tenerius putem. Haud longe inde pendet factum a Michaele Angelo caput, quod artifex ille inter exemplaria cteræ fibi præparaffe creditus eft, cum Romæ judicium pingeret; congruitque opportune, ut in Mufeo hoc noftro jungeretur huic aliud Leonardi caput, quo Principum noftrorum unum exprimendo in gra- *Rathamerus.* *Michael Angelus.* *Leonardus.*

graphidis certamen, revocasse priorem illum est visus. Corolla alia Brugueli suum hinc elogium haberet, nisi prior & major illa jam laudata esset. Decius minio celebris ex Raphaelis exemplari Magos adorantes juxta corollam hanc fecit. Insigne prospectus opus cernitur. Templum nempe, & cujus manu sit, extabit in indice, quo cuncta hæc signari jussimus, cum graphidis exercendæ causa Academiam institueremus. Sunt enim ibi notata pleraque, quæ propter artificum excellentiam, & nomen non parvi æstimantur, neque nos cuncta nunc persequi necesse erat; non, inquam, Titiani Monachum, non Tempestæ nobile opus, quod calamo ille delineavit, non pleraque alia id genus minuta simul & præclara. Sed sicuti prætermisisse hæc decuit, ita cætera, quæ Museum implent, ejusmodi sunt, ut & spectari oculis, & consignari chartis sit opera pretium sit. Aula, quæ proxime visitur, Luini Senioris mirificam artem exhibet statim, atque offert. Tabula satis amplæ magnitudinis est, quam nos satis magno pondere auri emimus, existimantque pictores, nihil ab artifice illo factum fuisse perfectius. Non tamen tota gloria tabulæ hujus ad Luinum spectat, sed cum artifice alio summo communicatur. Leonardus is fuit, qui cum exquisitissime delineasset opus, Luinus deinde contulit ei quod pulcherrimum præstantissimumque dare poterat; suavitatem nempe quamdam, & teneros piosque motus, ac

Brugueli corolla alia.

Decius.

Titiani Monachus.

Tempestæ opus.

Luini tabula a Leonardo delineata.

ac vultus. Ita nimirum præclari isti artifices facultatem invicem suam sibi commodabant, agnoscente altam Leonardi graphidem Luino, & vicissim Leonardo collaturo in sectatorem suum gloriæ summam, si navatam sibi ab eo operam vidisset; eaque mansuetudo morum in summis ingeniis ferme existit, taliaque veterum artificum exempla Plinius etiam refert. Cum enim agnoscerent immensos artium fines, & angustos humani ingenii terminos, & quam arcte uniuscujusque facultas, & excellentia circumscriberetur, alius alium comiter, hilareque adjuvabat. Præcipuum hujus tabulæ lumen est Infans Jesus, ejusque facies, ac mirifica præsertim in corpusculo divini Infantis tractabilitas, & teneritudo ventris inter artifices laudatur; extatque Typus, quem Leonardus impressa argilla fecit, ut excellentiam operis vulgando labores suos testaretur. Deiparæ Virginis pulchritudo tanto admirabilior est, quanto magis eximium illud & venerabile os lasciviam omnem excludit, ut mirari possis quanam arte pictor res duas inter se natura fere connexas penicillo discreverit, & alteram ab altera longissime ablegarit. Anus Elisabetha vividæ senectæ robur præfert, puerque Johannes admirabili suavitate Salvatorem adspectat. Hæc, quæ admirabiliter, & superlate dici videntur, magnopere nobis optandum esset, ut in cetera Musei nostri perinde convenirent; sed inflectendum esse stylum video,

deo, quia non eadem auctoritas iis, quæ restant. Inclytam hanc, de qua dixi, tabulam interlocant, atque cingunt duæ argumento quidem inter se simili, & pene eodem, sed non eadem manu. Altera continet nemora, & lucos, & confusa in unum pleraque naturæ; arbores nempe, & rupes, & campos, silvasque virentes, & lucis, & tenebrarum, locorumque prospectus, quam sibi variarum rerum silvam Titianus fecit, non in alium ullum, sicuti fama est, usum, quam ut ex hoc veluti promptuario peteret exempla rerum ejusmodi, quandocumque operibus adsurgere suis tale quidpiam vellet inter ea, quæ pictores parerga appellant. Alioqui consilium operis & ratio non constabat, nisi quod, ut dixi, ab exemplari petebat isto exempla pingendis ejusmodi rebus, atque ita seipsum imitabatur.

Titiani tabula.

Pauli Belgæ tabula.

Altera est tabula Pauli hominis Belgæ, qui non mediocrem ætate nostra famam adsecutus, contulisse huc videtur, quidquid artis, ingeniique habebat. Mare cernitur ibi tam molli & placido, longoque prospectu, ut quisquis intendat illuc oculos, acie simul, & gressu maritima illa spatia pererrare sese putet. Cetera non carent laude; sed ea ipsa fit minor, quia nihil ab nota pictoris hujus consuetudine recedunt. Eadem aula referta est Pauli ejusdem operibus, inter quæ excellunt solitudines, & cautes, horridaque saxa, quæ dilutis aqua coloribus mira festivitate fecit. Magdalenam ad

ad Christi genua provolutam tunc,cum eum sub olitoris persona latentem fecit Luinus senior, dilutis item aqua coloribus, sed postea quispiam alius vel oleo, vel quopiam alio liquore adlaboravit, ut tabula perennior foret. Laudatur in ea muliebris motus Magdalenæ procumbentis. *Luini opus.*

In eadem Tabularum serie spectatur aliquanto antiquior una Germani artificis manu, eaque facta temporibus illis intelligitur, cum summa artis gloria in diligentia, & sedulitate collocaretur. Sequitur hunc Deipara Infantem tenens, adeo similis Leonardi operibus, ut illius manu factam esse contendas; sed fecit discipulorum ejus unus adeo solers magistri imitator, ut indiscreta similitudine plerosque fefellerit. Neque ceteræ tabulæ, quæ ibi conspiciuntur, relinquunt aliquem dubitandi locum, a quorum nempe manu factæ sint. Titiani namque sunt, & insignis præcipue illa Magdalena, cujus tot exempla extant fuso per corpus capillo. In qua sane tabula illud summopere admirari oportet, quod artifex ille in ea nuditate potuerit simul honestatem conservare. *Germani artificis tabula.* *Titiani Magdalena.*

Infimus ordo aulæ hujus pleraque habet Pauli Belgæ, illustriumque aliorum artificum, quorum unus florum vase magnopere celebratur, quod postea inspiciemus. Sunt e regione opuscula Brugueli ad duodecim marginato linteo inclusa, cornucopiæ nimirum, & tartarus, *Pauli Belgæ & aliorum tabulæ.* *Brugueli alia opera.*

rus, & procella, & silvæ. In contraria parte Brugueli ejusdem incendium est, quo picturæ genere claruit in juventa Bruguelus.

Rathameri Alites. Rathameri sunt parvuli alites in hiemis rigore spargentes florum copiam; quos Bruguelus fecit. Subest mysterium tamquam florum amœnitas, & nives adstrictæ gelu sint extremæ naturæ, & tamquam hiemis facie tellus, veris imagine cælum repræsentetur. Sed nihil ego symbola, mysteriaque ista respiciens, rem sic depingi ipsam jussi. In eadem aula sive sacello, parvuloque Templo, duæ ingentes pugnæ spectantur, altera quidem inter duas Magdalenas; altera vero, quam Brugueli flores ex vasculo emittunt. De priore Magdalena, quam Titianus fecit, jam dictum est.

Luini Magdalena. Alteram hanc fecit Luinus Senior, sed Leonardi penicillum præfert, a quo fortasse Luinus lineamenta, descriptionemque sumpsit; existimantque periti, nihil in tota arte fere hodie reperiri pulchrius, quoad scilicet capite uno consumi ars potest. Tantum vitæ, spiritusque inest capiti huic, ut Titiani Magdalena apposita huic, exangue quiddam, nec femina, sed feminæ effigies videatur. Minime æstuosa facies est, sed cuncta tamen peragit, intuentem adspectans, aperiensque vasculum aptissimum ungendo Salvatoris corpori. Et Magdalenæ quidem ita inter se pugnant. At florum pugna

Brugueli flores. non minor spectatur, quorum pretium artifex ipse Bruguelus lepidissimo commento indicavit.

vit. Pinxit enim in imo vase adamantem, quo inspecto intelleximus id, quod etiam alioqui statuissemus; gemmarum scilicet æstimationi indicaturum par esse operis hujus pretium; quod artifici est a nobis ita persolutum. Circumvolitant Papiliones, herbarum viriditas adest, sparsæque jacent humi conchæ, ob quas tabula quælibet alia immenso pretio veniret. Flores hosce ex vase sic adsurgentes, multum anteponimus artificis ejusdem coronæ, quam in prima Musei aula collocatum antea monstravi.

Leonardi Cœnaculum, sive Triclinium, quod in aulæ hujus summa parte prostat, cogit transire pleraque alia, quæ cujuslibet tenere oculos possint, in primisque exempla Luini operum, quæ cum jam vetustate dilaberentur, exciderentque tectoriis; exprimenda curavimus, atque hinc inde collegimus. Reliquiæ cœnaculi cernuntur adhuc in Urbis hujus monasterio, quod sanctæ Mariæ Gratiarum dicitur. Ibi cum ego olim infidum tanto operi parietem, excidentesque crustas inspexissem; desiderio ex arte conservandi operis, si qua humana ope id assequi possem; ac super ea re probatum mihi pictorem appellavi. Is pleno desperationis sermone corruptas, & evanidas, dilapsasque figuras arguendo, spem primam meam omnem infregit; deinde monitus, ut capita saltem nonnulla Apostolorum, quæ adhuc exstarent, exprimere ne cunctaretur, post- *Cœnaculum ex Leonardi tabula expressum.*

quam

quam id fecerat, duoque, vel tria capita comparuere, sic desperatione damnata sua, spes meæ ultro crevere. Ita lente, & laboriose, & magno omnium tædio per temporum etiam intervalla opus est absolutum, quale jam exstat; argumentumque difficultatum istarum esse potest hoc ipsum, quod non lintei unius continuato tenore, sed separatis, interpolatisque linteis hæc triclinii exempla continentur. De artificis fide dubitari non potest, quia & Leonardi ipsius exemplaria in membranis reperta sunt ad hanc eandem formam, & artifex ipse craticula, & dilucidatione singula capita exploravit. De operis autem pretio cum multi adhuc dixerint, nos tantum id dicimus, quod fortasse alios fugit; affectus nimirum, sive motus animi varios & diversos præcipuam esse gloriam operis hujus; quam Plinius etiam in extollendoDearum judicio laudem spectavit, cum tres ibi diversos affectus in Paride miraretur. Neque vero artifex dolorem tantummodo, & lacrymas protulit, quod quilibet fortasse alius faceret, sed in membrorum motu descriptos animi sensus ostendit, itaut tabulam hanc collustranti oculis personent aures Apostolorum vocibus, quas inter se contulere postquam Salvator tremendum illud enuntiavit; *Qui intingit mecum manum in paropside, ipse me traditurus est*. Venerabile Salvatoris os altum animi mœrorem indicat, qui gravissima moderatione occultatus, atque suppressus intelligitur.

tur. Sermones Apoſtolorum & colloquia tum inter ipſos, tum vero cum Salvatore pro atrocitate rei quodammodo audiuntur. Minatur proditori alius, alius opem auxiliumque Domino pollicetur. Fixus aliquis in ſilentium magnitudine ſceleris, obſtupeſcit; nonnemo angitur, ſeque Chriſto ſocium doloris præbet. Eſt qui tanti flagitii ſuſpicionem ab ſe avertere conetur: eſt qui percunctando, & inquirendo ſeriem, ordinemque parati ſceleris cognoſcere velit. Sunt attoniti, ſunt indignabundi, ſunt taciti, & aliorum dicta ſubauſcultantes. Sed ante omnes Apoſtoli Petri vultus ira & vindictæ cupidine aſſurgit, cerniturque impatiens moræ animus caritate Magiſtri; ſpectaculo eſt robur ejus, vigorque & fortitudo. Vides tacite volventem iras, malumque proditori minitantem, quod nemine conſcio paret intus ipſe, & coquat. Ea diſſimulatione, & ira obverſus in ſanctum Johannem, rogat, ut proditionis arcana ſibi pateſaciat, ſenſumque divini ſermonis interpetretur. Juxta ſic affectum Apoſtolorum Principem, collocavit artifex proditorem Judam magna illa ratione, ut contraria ſtudia clarius apertiuſque ſpectarentur. Nec minus diverſi vultus facieſque contrariæ. Torva, & hiſpida, & vilis proditori deformitas: os Apoſtolo vividum, & honeſtum, plenumque dignitatis. Præterea anxius Judas odio ſimul & metu ne inditium emanet, intendit aures, ut

Petri cum Johanne colloquium excipiat, aucupaturque verba vecors ſimul, attonituſque ob facinus ſceleſta mente conceptum. Explicavit autem Leonardus in Judæ vultu myſteria magna phyſognomices, atque oſtendit, quam peritus eſſet ejus artis. Fecit enim atrum, hirſutum, abditis iatrorſum oculis, inhorreſcente capillo, torrida macie ſqualidum, ſimo naſo; quæ cuncta peſſimos animi mores indicant apud eos, qui ex facie hominum animos addivinare poſſunt. Ad eaſdem metopoſcopiæ leges optime congruit ex diverſo, flamma Apoſtoli pallore labiorum, tumidiſque naribus artificioſe declarata; oblongus incurvuſque naſus, & viriles oculi nobile pectus depingunt. Quæ naturæ ſigna ſic attigi, ut pictores noſtri admonerentur, non eſſe cognitiones iſtas extra artis fines, quam factitant, & nihil erraturos eos, ſi ſtudii multum in hoc etiam genere ſibi eſſe conſumendum putabunt. Cænaculum igitur hoc inter præcipua Muſei noſtri, carum nobis eſt, cariuſque porro quotidie erit jam dilapſo, & penitus amiſſo Leonardi opere, quod theſauri alicujus loco ſemper habitum eſt. Ipſumque Leonardum inter Franciſci Galliæ Regis manus expiraſſe ferunt. Tantus honor artifici! In aulæ ejuſdem egreſſu ſuper limen viſitur Magdalena ex profano Deæ vultu, quam Raphael Romæ pinxit, in ſanctiorem habitum transfigurata noſtri pictoris arte; qui monitus a me, ut profanas imagines ita mutaret, ex-

Leonardus φυσιογνώμων.

preſſit

pressit hanc tenentem manu vasculum, atque sublime elatam; quod ei non semel in die accidisse memorant, cum in solitudine ageret. Vellem sane ego plus esse honestatis in vultu, sed pristini oris lineamenta mutari non potuere. Juxta Magdalenam hanc Raphaelis, Hercules est absolutissima roboris, atque fortitudinis imagine; quem artifex ille in Ghisiorum ædibus fecit: pictor vero noster Angelum adjecit cum libro, ita ut sanctum Matthæum ex parte Hercules repræsentet; Angelum vero ipsum alicubi fecerat Raphael. Lætum plane mihi est, quod pleraque Romanorum operum ex profano usu in pios sic assimulata vultus Museo huic nostro inferre potuerim, utimurque adhuc ad hoc studii genus patriæ hujus homine, cui nomen Antonius, ut hoc diligentiæ artificioque ejus detur. Tanta enim hominis non diligentia solum, sed etiam patientia est, ut putem intelligentissimos etiam rerum istarum, dum exemplaria ipsa curiose intueantur, laudaturos esse hoc ipsum, quod facies eædem diversis locis expressæ reperiantur.

Tabulæ expressæ ex Gaudentio Novariensi.

Pari diligentia tabulas Gaudentii Novariensis octo, quæ Mediolani in Templo s. Raphaelis visuntur, exprimendas curavimus, cum vetustate fatiscerent, ac nisi maturatum foret, prope interciderant. Continent Virgines, Episcopos, sacra pleraque simul & profana tanta copia, ut vel hæc sola exempla sufficere pictoribus ad imitationem possint. Aliquanto mi-

Titiani tabula. nor tabula, quæ subjecta hisce cernitur, Titiani est, quem credunt, patrem suum ita thoracatum pingere voluisse, ut faceto argumento jactaret nobilitatem, quam tali prole ille assecutus esset. Id ipsum tamen ambiguum adhuc est; Auctor operis minime ambiguus. Marginatæ tabulæ, quæ quatuor longis ordinibus in eadem aula excurrunt, varias hominum facies continent, Mutiani fere manu, qui *Mutiani tabula.* Sixti Quinti temporibus Romæ claruit, cum arti honos esset. Poterunt studiosis usui esse, nec minus usui erunt aliæ, quas Antonius noster ex Raphaelis exemplari expressit; ac si discentes sedulo imitari hæc volent, perinde erit ac si Raphaelis ipsius opera ante oculos haberent. Sin autem in studio imitationeque hac tardiores erunt, hanc ipsi sibi culpam tribuant. *Fatris Sebastiani opus a Mutiano expressum.* Mutianus porro idem, cujus manu expressa sunt ista, expressit item hanc positam in aulæ fronte s. Antonii, sive s. Benedicti effigiem, Fratris Sebastiani opus, superavitque artificem illum, sicuti quidem & mihi, & aliis videtur. Nec abest gloria proximæ huic fiscellæ, ex qua *Caravagensis Fiscella.* flores micant. Fecit eam Michael Angelus Caravagensis Romæ nactus auctoritatem, volueramque ego fiscellam huic aliam habere similem, sed cum hujus pulchritudinem, incomparabilemque excellentiam, assequeretur nemo, solitaria relicta est.

Pleraque alia decora picturæ sunt in Museo hoc nostro digna, quibus curæ partem impendamus;

damus; ſed obſtant marmora, quæ muta licet & emortua, vocem noſtram expoſcunt, tranſibimusque ad ea libenter, victi etiam tædio enumerandi tam multa, quæ ſuperſunt. Hæc tamen in tranſcurſu dicantur adhuc. Titiani Chriſtus in clamyde, & arundine coronatus ſpinis: Jambellini Tabula una, quæ caput & ſumma pectoris eleganter expreſſa continet: effigies alia pari magnitudine, quam Parmenſis fecit. Julii Romani redivivus Salvator præferens Raphaelis inventa: Deipara Leonardi: & tabula ſatis ampla Petri Peruſini, qui Raphaelis magiſter fuit. Ac licet tot illuſtrium artificum nomina, ſilentio prope involvam, narranda tamen accuratius aliquanto eſſet tabula una miniati operis, quam Hieronymus fecit, de quo antea dictum eſt. Caput humanum eſt juſtæ magnitudinis, qualia nimirum capita hominum ſunt: neque arbitror ſubtilius in hoc genere quicquam fieri poſſe; artifexque ipſe deſperavit, cum a nobis appellaretur, ut pari magnitudine tabulam aliam conficeret arte eadem ſua. Cætera, ſicut dixi, omitto, quia alienum ſulcare æquor videmur, voceſque etiam audire nonnullorum, qui exprobrabunt fortaſſe, quod in aliena nimium arte occupati eſſe voluerimus, quam Cicero quoque exprobrationem timuiſſe videtur, ne pictor & orator ſimul apud judices haberetur cum Verris rapinas, & hujus generis furta enumeraret. Verum ſicut nimium inſumpſiſſe ſtudii arti huic

Illuſtrium Artificum aliquot tabulæ.

alienum fuerit a gravioribus studiis; ita extrema talium rerum imperitia Ecclesiastico homini indecora esset. Postulat argumenti hujus occasio, ut lepidissimam ego historiam narrem. Cum Pii Quarti temporibus ex transmarinis terris Romam nobiles viri venissent, eisque propter splendorem & nobilitatem ostenderentur numismata, quæ Cardinalis Bembi fuerant; quoties aureum aliquod numisma prolatum fuerat, ajebant *aurum esse purissimum*, nec aliud præterea, quod dicere possent, habebant. Alter vero fuit, qui signa & numismata putabat exquisitissima esse ea, quæ in scrinii parte intima collocata videret, eaque summopere admirabatur.

Sed jam ad marmora & typos transire tempus est, ut Romanæ Græcæque antiquitatis reliquias quascumque colligere potuimus, cura etiam ista scribendi custodiamus. Si congesta in hanc sedem cuncta essent, quæcumque, in hoc artificii genere præclara & admiranda extant, injuria non parva foret Italiæ totius, quæ sic orbata talibus ornamentis haud immerito conquereretur; neque tamen vel nostræ vel cujusquam opes ad conquirenda & conservanda cuncta suffecissent. Quomodo autem hæc ipsa nacti fuerimus, memorabo ceu rem fortuna nostra longe majorem, nisi casu quodam, vel potius divino munere ac nutu contigisset.

Leo Aretinus. Leo Aretinus fuit ex Valle Solida, qui tractus ad Mediolanensis Ecclesiæ jurisdictionem spectat.

ſtat. Cum is ſtatuariæ artis, & picturæ fama ſatis noſceretur, mandavit ei Rex Franciſcus quo tempore Galli provinciam hanc tenebant, ut illuſtrium omnium ſtatuarum ectypa conficeret ac pararet; ex quibus poſtea ænea ſimulacra conflarentur. Deſtinatum namque Regi ei erat excolere Gallicanam eam Provinciam harum etiam artium ſtudiis, quarum decus gentes eæ penes Italiam adhuc relinquunt. Ita Aretinus regio ſumptu, ſed multo magis exprimere potuit cuncta, quæ uſquam præclara & mirifica extarent. Magnanimo huic Regis conſilio oppoſita mors eſt, quæ, ſicuti norunt omnes, optimarum etiam deliberationum fila plerumque obtruncat. Rex igitur Franciſcus inter ea moritur, ſuperſtite Aretino cum ſuis typis, quæ gypſo, & argilla fecerat. Hi poſtea typi morte artificis, & mutatione dominorum in manus noſtras pervenere, repræſentantes, ut dixi, pleraque venerandæ antiquitatis, & operum etiam eorum, quibus Michael Angelus urbem Florentiam exornavit. Tanta hæc præclariſſimarum rerum copia poterit utilis eſſe adoleſcentibus, ad hujus artis ſtudia ingredientibus, non minus profecto, quam ſi ſtatuas ipſas, ante oculos haberent. Notum namque eſt ad percipienda arcana artis, perinde valere ectypomata, quam ſtatuas ipſas; ſi quidem diligentia & fide expreſſa ſint, quam ab artifice hoc adhibitam fuiſſe conſtat. Inde ergo plurimum utilitatis ca-

pient ſtudioſi adoleſcentes, dum in una ſede habent; pulcherrimæ artis quæ variis locis diſperſa cernuntur. Ac ſi pictura etiam haberet hodie Michaelis Angeli membranas, dici non poteſt quantæ ea res utilitatis fcret. Verum mandavit eas igni artifex inſtinctu lapicidæ unius, quo miniſtro artis & famulo utebatur. Id ab eo haud temere factum fuiſſe credere nos oportet, nam & Raphaelis membranæ, quæ ſuperſtites extitere, nequaquam ingratæ fuerunt auctori. Quamvis autem fama ſit, Michaelem Angelum non in pictura tantum, ſed etiam in ſtatuaria membranis & graphide uſum fuiſſe; jactare tamen non potuiſſet illud, quod de ſe ipſe prædicavit, niſi illis uſus fuiſſet, numquam ſcilicet in tanta operum varietate plus excidiſſe e ſaxo, ac ſecaſſet, quam quantum initio deſtinaſſet. Artifex iſte Michael Angelus, ſicuti alibi eſſe dictum puto, diſcipulum habere nullum volebat, cumque ob eam rem invidiæ & livoris incuſaretur, ajebat expertum ſe ingratos multorum animos, nolle amplius pati acerba & odioſa. At in Muſeo hoc noſtro nulla hujuſmodi adverſus ingratos querela, vel ſuſpitio proficientium utilitatem tardabit. Scilicet & Michael Angelus & artifices alii obvia liberalitate erudiunt quemlibet diſcere volentem; altiora quædam ſpectantur, quid ingrati diſcipuli vel facere, vel dicere poſſint, nihil penſi eſt. Cæterum inter ſimulacra ea, quæ dicebamus, emicat maxime,

ceu

ceu lumen & ſolis plane inſtar, Apollo Vaticanus, quam ego ſtatuam cenſui amplexam eſſe lumina cuncta artis quotquot ſtatua capere una poſſit. Quod alii cenſeant neſcio, venuſtas certe & magnitudo, vigorque mihi viſa ſunt extra comparationis aleam eſſe. Mox ſeſe offert Antinous teneritudine inſignis ea, quam in marmore vel ære aſſequi, ſummum artis opus eſſe, Michael Angelus ajebat. Hinc agmine uno ſtatuæ inſignes viſuntur Paſquinus, & Hercules, & Gladiator robore celebris, & Narciſus mollitie, & fragmenta pleraque ſive Hermatenæ, quibus ſumma artis ineſt; eaque copia quotidie addendo fit major. Michaelis Angeli Crepuſculum, & Aurora ſimul adſunt, una cum grandibus duabus Raphaelis membranis; quas ſtudioſi artis tanto cariores habere debebunt, quanto minus de auctore dubitatur; cum tabulæ quidem artificis ejus ſuſpicione nonnulla poſſint infuſcari, propterea quod multos in pingendo adjutores ille habuit; qui manum appoſuiſſe potuerunt; has vero conſtat non alia quam ipſius eſſe manu. Statuæ porro tam inſignes, & earum fragmenta ſive reliquiæ, ſunt ejuſmodi, ut propter excellentiam ſuam non minus ad tenenda quam ad ſtimulanda hominum ingenia valere poſſint. Inter noſtræ ætatis ſtatuarios primas ego facile tribuerim Marco Antonio Præſtinario, qui dum viveret in familiarium noſtrorum numero fuit. Magnus utique artifex & præter illuſtria opera

opera quæ reliquit, omnes mihi superare visus est mirificis de arte sua sermonibus; quæ nimirum eruditio & peritia manabat ex eo, quia gravidum fere animum veterum artificum contemplatione habebat. At nescio an rem quoque ipse nimiam sim molitus, cum statuam immensæ magnitudinis s. Carolo faciendam curarem, de cujus operis exitu diu consultatum est; variique sermones hominum extitere. Volueram initio minorem & marmoream facere, sed longitudo temporis, quam illius absolutio requirebat, displicuit, cumque subiret animum Rhodiani Colossi memoria, & æneum illud opus non conflatile, sed ductile fuisse negotium meminissem, exemplum sequi id animus fuit. Jam statua inibi est, ut oculis dijudicari facilius, quam oratione nostra monstrari possit. Improbabant nonnulli consilium nostrum, & opus quodammodo ipsum sternebant humi, propterea quod dicerent periturum esse calamitate ea, quæ Romanas antiquitates absumpsit. Vera si hæc omnia essent, præclari nihil jam haberet orbis, nec grande quicquam opus humana industria tentaret. Nos vero sciebamus Romanas antiquitates esse absumptas, sed memoriam tamen manere ipsarum, locaque monstrari in quibus sedissent. Verum sit ista cura eorum, quos humanæ gloriæ cupiditas solicitat, atque angit. Colossus noster sempiternus erit, si munus exiguum accipiat Deus in honorem Sancti, cui ponitur ac dicatur.

Tunc

Tunc ſempiternus inquam erit ſaltem propter meritum, quod ipſius auctori conſtabit, idque homini Chriſtiano ſatis eſſe debet. Iam poſtulat tempus, ut tertiæ parti Muſei hujus noſtri manum admoveamus, quæ tertia pars cito abſolvetur. Impoſuimus enim curam hanc familiari noſtro. Is nomenclaturam conficiet illuſtrium virorum, quorum imagines ad vivum exprimendas curavimus. Sunt autem clari litteris homines, vel arte aliqua, ex iis quæ liberales dicuntur. Nam militari, reliquave gloria claros conquirere ab inſtituto Bibliothecæ alienum erat; juſſimuſque honorem haberi eumdem ſubinde aliis, quorum fama memoriam hanc imaginum requiret, ſive exteri, ſive noſtrates, ſive etiam ex Collegio Ambroſiano, alumniſve Collegii fuerint.

ALE-

ALEXANDRI POLITI

DE CLER. REG.

SCHOLARUM PIARUM

EPISTOLA

IN LOCA QUÆDAM

JOHANNIS MEURSII

GEORGIO JACHSONI

CONSULI BRITANNICO
AD REMPUBLICAM GENUENSEM,
VIRO CLARISSIMO
S. P. D.

SIQUIS eſt, cui multum debeam, ut ſunt quidem nonnulli, tibi certe debeo plurimum, Georgi Jachſon, Vir Clariſſime. Siquidem tibi maxime debeo, quibus nihil mihi umquam charius atque antiquius eſſe poteſt, ſtudia hæc qualiacunque mea humanitatis ac litterarum. Multa in te paſſim communi hominum ſermone celebrantur, ingenii præſtantia, præclara eruditio, ſingularis prudentia, in magnis opibus atque in generis claritate excellens modeſtia, comitas in omnes atque humanitas, cetera omnia tua animi ac fortunæ bona. Illud etiam in te merito noſtri homines amant, quod, quum, ſingulari Romani Pontificis conceſſione, uxor tibi divinitus obtigerit, noſtræ communionis ſpectatiſſima atque hone-

nestissima femina, tanta hac Romani Pontificis indulgentia ad Religionis Catholicæ, quæ Romana est, incrementum atque splendorem, quo, tanquam ad finem, tota ea Pontificis indulgentia referebatur, usus fueris, & ne latum quidem unguem a præscriptis tibi Romanis legibus discesseris; sed ea cura atque diligentia in liberos tuos pie religioseque ad regulas Romanorum Canonum severiores educandos incubueris, ut domus tua, tanquam in illustri loco posita, vel religiosioribus nostratium domibus exemplo esse possit, &, sive uxorem tuam spectes, sive liberos tuos, sive quoscunque alios domesticos atque intimos familiares tuos, nihil, nisi Sanctum, atque Catholicum, spirare videatur. Quod autem ad me proprie attinet, prope tam aberat, Georgi, ut labores omnes in litteris mei, nostratium quorundam sorde, non languescerent modo, sed etiam penitus arescerent, nisi tute eos liberalitate tua sustentasses, atque refecisses. Nunc, quod de Joh. Meursio proximis superioribus diebus perscripseras, valde te optare, ut libros ejus universos ad Bibliothecæ tuæ usum atque ornamentum nanciscare, scias, velim, propediem eos omnes libros exituros ex elegantissima atque ornatissima Florentina editione

tione: quorum etiam librorum ii, qui rebus apud nos ſacris ac religioſis præſunt, cenſorem eſſe me voluerunt. Ac primum reprehendendum mihi in Meurſio, quod de Gregorio Nazianzeno, viro Sanctiſſimo, atque ab omni calumniandi ſtudio longe alieniſſimo, aliquanto acerbius atque inſolentius locutus fuerit in Solone. Condemnat enim Meurſius Gregorium calumniæ in Solonem, quod ad Solonis nimirum ἀπληςίαν, ſeu, ut explicat Meurſius, inexplebilem quandam avaritiam, id ipſum retulerit, quod, ex veterum, ac præſertim Herodoti atque Plutarchi, graviſſimo teſtimonio, in contemptum divitiarum feciſſe ac dixiſſe videtur Solon. Atque adeo Eliam Cretenſem, qui Gregorii veſtigiis inſiſtit, temere inſiſtere ait Meurſius, & de gentis vitio, tanquam Cretenſem, hoc eſt, mendacem, Sanctum illum virum notat. Verba hæc ſunt Gregorii Invectiva I. in Julianum: Ταῦτα μὲν ἤδη καὶ πολλῷ τιμιώτερα τῆς Σόλωνος ἀπληςίας τοῦ σοφοῦ τε καὶ νομοθέτου, ἣν Κροῖσος ἤλεγξε τῷ Λυδίῳ χρυσῷ, καὶ τῆς Σωκράτους φιλοκαλίας. αἰδοῦμαι γὰρ εἰπεῖν παιδεραςίας, κἂν σεμνοποιῆται ταῖς ἐπινοίαις. i. e. *Hac jam ſane multo præſtantiora inſatiabili illa cupiditate & ſapientis & latoris legum Solonis, quam Lydio auro Crœſus coarguit, itemque*

Socratis amore illo pulchritudinis. Pudet enim amorem dicere puerorum, tametsi intellectu atque cogitatione honestatem præ se ferat. Plura alia in eandem sententiam de Gentium Philosophis sequuntur apud Theologum: quæ ideo omittimus, ne longius a Solone extra argumentum ad alios Philosophos digrediamur. Verba porro illa de Solone, si ex Gregorii mente spectasset, aut spectare etiam Meursius potuisset, non certe tam facile, ut opinor, de calumnia Sanctissimum illum Gregorium damnasset. Christiano enim sensu loquitur Gregorius de Solone, pariter atque de aliis Ethnicis Philosophis & Gregorius ipse & alii Christiani Patres loquuntur. Patres sæpe Christiani, quod facit hic Gregorius Nazianzenus, Philosophos Christianos cum Philosophis Ethnicis comparant, ut ex hac ista collatione ostendant, quanto Philosophia Christiana Philosophiæ præstet Ethnicæ; atque illud potissimum discriminis inter utrosque Philosophos statuunt, quod Christiani, quia Deum sibi finem bene honesteque agendi proponunt, veras etiam germanasque virtutes profitentur; at vero Ethnici, quia, dum studere virtutibus videntur, non Deo, sed gloriæ suæ atque ambitioni student, umbram potius virtutum,

quam

quam veras virtutes, immo & obtentu ac simulatione virtutum, vitia sæpe consectantur. Quem sane sensum Christiani Patres hauserunt ex Paullo Apostolo epistola ad Romanos cap. 1. de superbis illis & arrogantibus Gentium Philosophis, qui, quum Deum cognovissent, non sese totos ad Dei cognitionem contulerunt, neque gloriam Deo tribuerunt, neque ei gratias egerunt, sed sibi suæque gloriæ turpiter serviverunt. Quare etiam Paullus ait, Deum eos suis eorundem ipsorum pravis cupiditatibus atque effrenatis libidinibus tradidisse. Διότι γνόντες τὸν θεὸν, οὐχ ὡς θεὸν ἐδόξασαν, ἢ εὐχαρίστησαν· ἀλλ' ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία. Φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν· καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, καὶ πετεινῶν καὶ τετραπόδων καὶ ἑρπετῶν. Διὸ καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν. Præclare Augustinus de Civitate Dei lib. 19. cap. 25. *Quamlibet enim videatur animus corpori, & ratio vitiis laudabiliter imperare; si tamen Deo animus & ratio ipsa non servit, sicut sibi serviendum esse ipse Deus præcepit, nullo modo corpori vitiisque recte imperat. Nam qualis corporis atque vitiorum potest esse mens*

domi-

domina, veri Dei nescia, nec ejus imperio subjugata, sed vitiosissimis dæmonibus corrumpentibus prostrata? Proinde virtutes, quas sibi habere videtur, per quas imperat corpori, & vitiis ad quodlibet adipiscendum, vel tenendum, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsæ vitia sunt potius, quam virtutes. Nam licet a quibusdam tunc veræ & honestæ putentur esse virtutes, cum ad se ipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ ac superbæ sunt; & ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt. Hinc a Christianis passim Patribus vehementer carpuntur, quæ præclare in primis atque honeste, virtutisque ipsius caussa fecisse Ethnici Philosophi videbantur. Chrysostomus homil. 7. in Acta Apostolorum ad illa verba: *καὶ διεμέριζον αὐτὰ πᾶσι, καθότι ἄν τις χρείαν εἶχεν·* οὐχ ἁπλῶς, inquit, *καθάπερ οἱ παρ' Ἕλλησι φιλόσοφοι, οἱ μὲν ἀνῆκαν τὴν γῆν, οἱ δὲ εἰς θάλασσαν ἔῤῥιψαν πολὺ χρυσίον. ὅπερ οὐχ ὑπεροψία χρημάτων ἦν, ἀλλὰ μωρία καὶ ἄνοια.* Et homil. 35. in epist. 1. ad Corinthios, ubi Apostolos cum Græcis Philosophis contendit ac comparat: *ἀλλ' οὐχ οἱ ἀπόστολοι οὕτως. ὅτι γὰρ καθαροὶ δόξης ἦσαν, ἐδήλωσαν δι' ὧν ἐποίησαν. καὶ γὰρ ὅτε θεοὺς αὐτοὺς ἐκάλουν, καὶ θύειν αὐτοῖς ἦσαν παρεσκευασμένοι ταύρους ἐστεμμένους, οὐχ ἁπλῶς ἀπηγόρευσαν τὸ*

γινό-

γινόμενον μόνον, ἀλλὰ καὶ διέρρηξαν αὐτῷ τὰ ἱμάτια. καὶ ὅτε τὸν χωλὸν διώρθωσαν, πάντων πρὸς αὐτοὺς κεχηνότων, ἔλεγον· τί ἡμῖν ἀτενίζετε, ὡς ἰδίᾳ δυνάμει πεποιηκόσι τοῦ περιπατεῖν τοῦτον; κἀκεῖνοι μὲν ἐν ἀνδράσι θαυμάζουσι πενίαν, τὰ τῆς πενίας ἡροῦντο· οὗτοι δὲ ἐν ἀνθρώποις καταφρονοῦσι πενίας, καὶ ἐπαινοῦσι πλοῦτον. καὶ οὗτοι μὲν, εἴ τι ἔλαβον, τοῖς δεομένοις ἐπήρκουν. οὕτως οὐ διὰ κενοδοξίαν, ἀλλὰ διὰ φιλανθρωπίαν ἅπαντα ἔπραττον. ἐκεῖνοι δὲ τοὐναντίον ἅπαν, ὥσπερ ἐχθροὶ καὶ λυμεῶνες τῆς κοινῆς φύσεως ὄντες, οὕτω καὶ ταῦτα ἐποίουν. ὁ μὲν γὰρ εἰς θάλατταν τὰ αὐτοῦ κατεπόντιζεν ἅπαντα εἰκῇ καὶ μάτην, τοὺς παραπαίοντας καὶ μαινομένους μιμούμενος· ὁ δὲ μηλόβοτον τὴν αὐτοῦ χώραν πᾶσαν ἀνῆκεν. Οὕτω πάντα πρὸς φιλοτιμίαν ἐποίουν. Nec, niſi ab eodem ſenſu, illud Tertulliani Adverſus Gentes: *Mimice Philoſophi affectant veritatem, & affectando corrumpunt, ut qui gloriam captant. Chriſtiani eam neceſſario appetunt, & integre praſtant, ut qui ſaluti ſua curant: adeo neque de conſcientia, neque de diſciplina, ut putatis, aquamur.* Hic quum ſenſus ſit Chriſtianus de Philoſophorum Græcorum virtutibus; quas Chriſtianæ tamen religionis hoſtes, atque in primis Julianus ὁ Παραβάτης, ſummis ad cœlum laudibus extollebant, videat etiam atque etiam

Meurſius, ne, ſi Gregorium Nazianzenum calumniæ in Solonem damnat, Chriſtianos ſimul Patres pleroſque omnes eodem in Philoſophos Ethnicos calumniæ crimine involvat. Quid quod magni illi Philoſophi ſub ſpecie & ſimilitudine quadam maximæ virtutis magna ſæpe vitia occultarunt? quale illud παιδεραστίας in Socrate, notatum etiam a Nazianzeno. Vere hac in parte Chæremon ille Abbas apud Caſſianum Collat. XIII. *Primum Philoſophos nequaquam credendum eſt talem animi caſtitatem, qualis a nobis exigitur, aſſecutos: quibus injungitur, ut non ſolum fornicatio, ſed ne immunditia quidem nominetur in nobis. Habuerunt autem illi quandam μερίδα, ideſt, portiunculam caſtitatis, ideſt, abſtinentiam carnis; ut tantum a coitu libidinem coercerent. Hanc autem internam mentis, perfectam ac perpetuam corporis puritatem, non dicam, opere aſſequi; ſed nec cogitare potuerunt. Denique famoſiſſimus ille ipſorum Socrates, hoc, ut ipſi concelebrant, de ſe non erubuit profiteri. Nam, quum intuens eum quidem Phyſiognomon, dixiſſet, ὄμματα παιδεράστου, ideſt, oculi corruptoris puerorum, & irruentes in eum diſcipuli ejus, ulciſci illatum magiſtro vellent convicium, indignationem eorum hac dicitur compreſſiſſe ſententia:* παύσασθε, ἑταῖροι. εἰμὶ γάρ. ἀλλ᾽ ἀπέχω. *ideſt,*

ideſt, quieſcite, o ſodales. etenim ſum. Sed contineo me. Apertiſſime igitur non ſolum aſſertione noſtra; ſed etiam ipſorum aſſertione monſtratur, conſummationem tantummodo impudicitiæ, ideſt, commixtionis turpitudinem violenta ab illis neceſſitate compreſſam, non tamen deſiderium de cordibus eorum, & oblectationem illius paſſionis excluſam. Atque hanc tamen præclaram ſcilicet caſtitatem ac continentiam ſuam Socrates ſpecioſo illo φιλοκαλίας nomine obtegebat. Similiter autem ac de caſtitate, & ſanctimonia Socratis, judicat Nazianzenus de contemptu divitiarum Solonis, ſub falſa nimirum atque ementita virtutis ſpecie verum animi morbum turpeque vitium delituiſſe. Neque enim Solon eo ſenſu apud Gregorium inexplebilis, quod opes alterius longe generis, eaſque multò majores atque pretioſiores, vitam nimirum tranquillam, mortemque placidam, deſideraret. Quæ quidem explicatio menti atque argumento ipſius Gregorii, quam maxime repugnat. Nec vero negat Gregorius, quod apud veteres Scriptores teſtatum in primis exploratumque eſt, Solonem magnum contemptum divitiarum apud Crœſum, regem ditiſſimum atque opulentiſſimum, præ ſe ferre voluiſſe, qui hominis beatitatem non in opum affluen-

 tia,

tia, ſed in tranquillitate vitæ mortiſque felicitate collocaſſet: Sed ait Gregorius, auro ſuo Crœſum indicia ἀπληϛίας, ſeu inſatietatis, minime obſcura in Solone deprehendiſſe. Quid ni autem deprehenderit? quando jam inde ab adoleſcentia Solon ſeſe ad mercaturam, rationemque vivendi aliquanto molliorem atque profuſiorem applicaverat. Nec etiam defuerunt, qui aſſererent, Solonem quæſtus cauſſa per orbem terrarum pervagatum fuiſſe. Quod ſatis colligitur ex Plutarcho. Quum enim narret Plutarchus, nonnullos tradidiſſe, πολυπειρίας ἕνεκα μᾶλλον, καὶ ἱϛορίας, ἢ χρηματισμοῦ, πλανηθῆναι τὸν Σόλωνα, tacite his verbis ſignificat, alios contra voluiſſe, χρηματισμοῦ ἕνεκα πλανηθῆναι τὸν Σόλωνα. Hos igitur potiſſimum auctores ſecutus videtur Gregorius: qui etiam videntur illud de Solonis ἀπληϛίᾳ a Crœſo notata litteris conſignaſſe. Neque id porro abhorret a ſimilitudine veri. Niſi ſi forte contra ſenſum Chriſtianorum contendat Meurſius, non vanæ gloriæ ſtudio, Solonem, ſed amore veræ perfectæque virtutis, opes Crœſi apud Crœſum contempſiſſe. Quod ſi contemptus ille in Solone ac deſpicientia divitiarum, non vera germanaque virtus fuit, ſed, ad vanam futilemque gloriam aucupandam,

vir-

virtutis duntaxat superba ostentatio, quid, obsecro, propius fuit, quam ut ad immensam vim auri, innumerabiliumque fere gemmarum splendorem animus hominis mollior, mercaturisque faciendis deditus, tametsi opum contemptionem præ se ferret, ac simularet, tamen oculis ac gestu signa aliqua ἀπληστίας ederet? quod traditum, ut videtur, a nonnullis, apposite in rem suam arripuit Gregorius Nazianzenus, ut inde contra Julianum Philosophiam Græcorum longe infra Christianorum Philosophiam deprimeret, & enumeratis præstantissimis atque celeberrimis Græcorum Philosophis, eorum virtutes vitii nomine accusandas, nulloque eos modo cum Christianis Philosophis conferri posse demonstraret. Quin, si Gregorius a majestate illa sua oratoria, stilique contra Julianum acrimonia ad Comicos lepores desciscere voluisset, dicere etiam potuisset, gemmas illas Crœsi Soloni oculorum ἀλγηδόνας extitisse, quales oculorum ἀλγηδόνες dictæ sunt esse puellæ impuris ac libidinosis adolescentibus. Neque vero existimes, gemmas illas atque aurum Crœsi mercatoris Solonis oculos minus perstrinxisse, quam Socratis παιδεράστου oculos pulchritudo adolescentium. De Solone autem, quam mollis pro-

profususque in delicias ex mercatura fuerit, testis in primis luculentus, ipse summus ejus laudator Plutarchus: Τὸ δ' οὖν δαπανον τῷ Σόλωνι, καὶ ὑγρὸν πρὸς τὴν δίαιταν, καὶ τὸ φορτικώτερον, ἢ φιλοσοφώτερον, ἐν τοῖς ποιήμασι διαλέγεσθαι περὶ τῶν ἡδονῶν, τὸν ἐμπορικὸν οἴονται βίον προστετρῖφθαι. πολλοὺς γὰρ ἔχοντα κινδύνους καὶ μεγάλους ἀνταπαιτεῖν πάλιν εὐπαθείας τινὰς καὶ ἀπολαύσεις. Quid quod primus fertur Solon Athenis, mulieres mercatus, mertricium ex iis quæstum instituisse? quod prodidit Nicander Colophonius. Ne dicam, quod multo adhuc turpius ac detestabilius est, magnum illum legum latorem Atheniensibus civibus concessisse, quod servis minime licitum esse voluit, τὸ παιδεραστεῖν. Quod in Solone gravissime vituperat, neque ille quidem certe per calumniam, Joh. Chrysostomus Homil. 4. in Epistolam ad Romanos: καὶ νομοθέτης τις παρ' αὐτοῖς οἰκέτας ἐκέλευσε μήτε ξηραλοιφεῖν, μήτε παιδεραστεῖν, τοῖς ἐλευθέροις τῆς προεδρείας παραχωρήσας ταύτης, μᾶλλον δὲ τῆς ἀσχημοσύνης· ἀλλ' ὅμως οὐκ ἐνόμισαν ἀσχημοσύνην εἶναι τὸ πρᾶγμα. ἀλλ' ὡς σεμνὸν, καὶ μεῖζον, ἢ κατ' οἰκετῶν ἀξίωμα, τοῖς ἐλευθέροις ἐπέτρεψαν. καὶ τοῦτο ὁ σοφώτατος τῶν Ἀθηναίων δῆμος, καὶ ὁ μέγας παρ' αὐτοῖς Σόλων. Atque hoc primum est,

est, Georgi amicissime, epistolæ hujus ad te meæ caput de calumniæ crimine temere à Meursio intentato in sanctissimum atque innocentissimum virum, Gregorium Nazianzenum.

Alterum caput est de Cirrha urbe Phocidis, qua de Meursius in Lectionibus Atticis, & nos etiam alibi. Pertinet ad hanc urbem locus Stephani in Αἰγαῖον πέλαγος, qui locus in libris editis est misere depravatus. ἔστι καὶ Αἰγαῖον πεδίον, συνάπτον τῇ Κίῤῥᾳ, ὡς Ἡσίοδος. Λέγεται παρὰ αἶγα, ποτὲ φερομένην ἀπὸ τοῦ περὶ τὸ Πύθιον ὄρους, ἀφ᾽ οὗ καὶ το πεδίον Αἴγαιον. Quid? Αἰγαῖον πεδίον, συνάπτον τῇ Κίῤῥᾳ, ὡς Ἡσίοδος; An Ægæi campi, Cirrhæ finitimi, meminit alicubi Hesiodus? Ægæi in Creta montis scio Hesiodum meminisse in Theogonia, in illo versu:

Αἰγαίῳ ἐν ὄρει πεπυκασμένῳ ὑλήεντι.

Ægæi in Phocide campi Hesiodum alicubi meminisse, ego prorsus nescio: nisi forte unus hic sit Hesiodi locus ex iis, qui perierunt. quod ego facile crediderim. At fallitur omnino Grævius, cum Ægæum hunc campum ex Phocide traducit in Cretam, & Cirrham urbem Phocidis commutat apud Stephanum in Cyrbam, oppidum Cretense. Nam pro Κίῤῥᾳ quidem reponit ipse Κύρβᾳ.

Cyrba

Cyrba quondam vocabatur, quæ postea tandem Hierapytna, Stephano teste. Est etiam Pytna, nomen collis Idæ, ex quo Hierapytnæ urbi appellatio, auctore Geographo. Hinc Grævius Hierapytnam collocat in colle Idæ, cui qui adhæreret campus, hunc vocat Ægæum: quasi scilicet a monte illo Ægæo. Immo & totam insulam Cretam ex Scholiasta Hesiodi appellatam putat *Αἰγαῖον*: quæ sunt penitus falsa. Falsum, Cretam ipsam insulam dictam aliquando *ὄρος Αἰγαῖον*, & locum Scholiastæ, ubi id affirmare videtur, nos alibi restituimus. Falsum, Ægæum montem Hesiodum alium intellexisse a Dictæo. Falsum, Ægæum ullum campum olim in Creta appellatum. Falsum, Hierapytnam urbem positam fuisse in Ida. Quæ omnia nos falsa alibi demonstramus. Neque vero Hierapytnam in Ida positam affirmat Strabo, ubi agit de locorum *ὁμωνυμίᾳ*. *Ἴδη γὰρ*, inquit, *τὸ ὄρος τό τε Τρωϊκὸν, καὶ τὸ Κρητικόν· καὶ Δίκτη τόπος ἐν τῇ Σκηψίᾳ, καὶ ὄρος ἐν τῇ Κρήτῃ. Τῆς δ᾽ Ἴδης λόφος Πύτνα, ἀφ᾽ οὗ Ἱεραπύτνα ἡ πόλις· Ἱπποκόρωνά τε τῆς Ἀδραμυττηνῆς, καὶ Ἱπποκορώνιον ἐν Κρήτῃ· Σαμώνιόν τε τὸ ἑωθινὸν ἀκρωτήριον τῆς νήσου, καὶ πεδίον ἐν τῇ Νεανδρίδι, καὶ τῇ Ἀλεξανδρέων*. Exemplo vult esse Strabo loca

loca uno eodemque nomine appellata, quæ tamen ſunt diverſa. Sic, inquit, Ida & mons eſt Troicus, & mons Creticus. Sic Dicte & locus eſt in Scepſia, & mons in Creta. Sic etiam Pytna, collis eſt Idæ, quo item nomine appellata eſt urbs Hierapytna. Non ait, Hierapytnam urbem ſitam eſſe in colle Idæ Pytna; ſed, quo nomine vocatur collis Idæ Pytna, inde nomen factum eſſe urbi Hierapytnæ: tametſi loca hæc ſint diverſa. Poſita erat urbs hæc Hierapytna ad Libycum mare, ut ſatis demonſtrant verba hæc Strabonis: *αἱ ἠϊόνες περὶ ἑξήκοντα ςαδίους τῆς ἀπὸ Μινώας τῆς Λυκτίων εἰς Ἱεράπυτναν, καὶ τὸ Λιβυκὸν πέλαγος. ἐν κόλπῳ δ᾽ ἐςὶν ἡ πόλις.* Jam vero valde mirum eſt, quod facit Grævius Stephanum dicere, Ægæum illum in Creta campum adſitum eſſe, & propinquum Cyrbæ. Nomen ſubinde variis temporibus mutavit urbs illa Cretæ maritima Hierapytna. Antiquiſſimum omnium nomen fuit Cyrba; antiquato poſtea hoc nomine, dicta ea urbs fuit Pytna, deinde Camirus, poſtremo Hierapytna. Mirum igitur valde eſt, Stephanum in plano ac ſimplici ſcribendi genere archaiſmum hic affectaſſe, urbemque illam Hierapytnam non ſuo jam atque uſitato nomine; ſed, quod

quod facerent Poetæ, antiquo & jampridem obsoleto appellasse. Corrupta autem penitus sunt verba, quæ sequuntur in Stephano: Λέγεται παρὰ αἶγα, ποτὲ φερομένlω ἀπὸ τῶ περὶ τὸ Πύθιον ὄρους, ἀφ᾽ ὧ καὶ τὸ πεδίον Αἴγαιον. Legunt docti viri ex Eustathio: Λέγεται παρὰ Αἶγαν ποταμὸν φερόμενον ἀπὸ τῶ περὶ τὸ Πύθιον ὄρους. Αἶγαν etiam Casaubonus, quasi scilicet a recto Αἶγα, quod certe est muliebre. Sic enim Eustathius ad Dionysium Periegetam: Ἱστέον δὲ, ὅτι ὀ μόνον πέλαγος Αἰγαῖον, ἀλλὰ καὶ πεδίον τὶ περὶ τὴν Φωκίδα γλῶ ἱστορεῖται καλούμενον Αἰγαῖον ἐκεῖνο, παρὰ τὸν ἐκεῖ ῥέοντα Αἶγαν ποταμόν. Sed codex Cajetani Moniliæ, viri optimi atque amicissimi, quo ego potissimum codice usus sum ad restituendum Commentarium illum Eustathianum in Dionysium, legit diserte, quomodo mihi sane legendum videtur, Αἶγα ποταμόν. Nomen hujus fluvii in recto videtur esse Αἴξ, quo etiam nomine urbs Chersonesi Thracicæ maritima, appellata Αἰγὸς ποταμός, seu ποταμοί: Cornelio Nepoti, Melæ, & Plinio, *Ægos flumen*; eademque Ammiano Marcellino *Ægos potamos*: Cujus etiam urbis meminit Herodotus in Calliope: κατελαμβάνοντο ὀλίγοι ἐόντες ὑπὲρ Αἰγὸς ποταμῶ. Quo nuper loci ex codice Medi-

Mediceo πληθυντικῶς rescripserunt, Αἰγὸς ποταμῶν. Nemo autem nescit Grammaticorum, dictum etiam ἀρσενικῶς τὸν αἶγα, secundum regulam illam Etymologi: Τὰ εἰς αιξ, κοινά εἰσι τῷ γένει· οἷον, ὁ αἶξ, καὶ ἡ αἶξ. Hinc manifesta est Stephani emendatio. Dicit Stephanus Αἶγα ποταμὸν φερόμενον ἀπὸ τοῦ περὶ τὸ Πύθιον ὄρους, quem Eustathius ἐκεῖ ῥέοντα, fluentem nimirum e Parnasso, &, quod ibi est ad Cirrham camporum, perfluentem. Ab Æge hoc amne πεδίον τὸ συνάπτον τῇ Κίῤῥᾳ, non Αἰγαῖον modo dictum προπερισπωμένως, sed etiam προπαροξυτόνως, Αἴγαιον, quod est Ἀττικώτερον. Id sibi vult Stephanus. Hoc autem Ægæum πεδίον videtur mihi idem esse, quod Crissæum. Cirrhæ nanque urbi adjacet πεδίον Crissæum. Strabo: πρόσκειται δὲ τῇ Κίῤῥᾳ τὸ Κρισσαῖον πεδίον εὔδαιμον. Vulgo πρόκειται: quod siquis mavult, is deinde in Strabone, opus est, legat gignendi casu, τῆς Κίῤῥας, quemadmodum legit Casaubonus. Sed ego præfero τὸ πρόσκειται. Idem etiam πεδίον, Cirrhæum: quandoquidem una eademque urbs, Crissa & Cirrha, a qua id campi denominatum. De Crissa, quæ postea appellata est Cirrha, itemque de campo, qui & Crissæus & Cirrhæus dictus est, plura nos ad Homerum.

Ubi

Ubi etiam oſtendimus, recte ab Etymologo Leocrinem reprehenſum, quod Cirrham & Criſſam diverſas Leocrines feciſſet. Verba hæc Etymologi: Λεωκρίνης δὲ ἡγεῖται, δύο εἶναι πόλεις, ἄλλην τὴν Κρῖσαν, καὶ ἄλλην τὴν Κίῤῥαν. Ἀντίκειται δὲ ὑπὸ πολλῶν. Οὔτε γὰρ τῶν Γεωγράφων εἶπέ τις πόλεις δύο διαφόρους, ἀλλ' οὐδὲ τῶν Περιηγητῶν. Μόνος δὲ αὐτὸς, καὶ τοῦτο δι' ἄγνοιαν, καὶ ἰδιοτισμὸν τοῦ πάθους. ὅθεν ἱστορίαν δίδωσι διεψευσμένην. ἡ αὐτὴ ἐν Κρῖσα, καὶ Κίῤῥα. Κρῖσαν ſcribit Etymologus ſimplici σ, & quidem, ut ego cenſeo, προπερισπωμένως. Peritiam hac in re Grammatici deſiderat Meurſius. At ego peritiam Leocrinis, atque adeo in hac ipſa re Meurſii. Cenſeo enim, Meurſium, qui erroris Etymologum manifeſti redarguit, ipſum Etymologi mentem minime omnium percepiſſe. Verum quidem certe eſt, ut diximus ad Homerum, quod teſtatur Strabo, tres urbes Phocidis maritimas, diverſaſque inter ſeſe fuiſſe, Cirrham, Criſſam, Anticirrham. Neque id negat, aut ignorare potuit Etymologus, quod teſtatum maxime erat Geographis: quum & Geographorum potiſſimum auctoritate nitatur ipſe adverſus Leocrinem. Quippe & a Ptolemæo in Phocidis παράλια, referuntur Κύῤῥα, Κρῖσα, Ἀντί-

κυῤ-

κυρ'ρα, easque etiam urbes in Phocicis ex Scriptoribus nostris adnumerat Plinius lib 4. cap. 3. *Ultra Cirrhai Phocidis campi, oppidum Cirrha*; & paullo post: *Praterea oppidum Crissa, & cum Bulensibus, Anticirrha*. Sic scribo pro vulgato *Anticyra*. Neque enim Plinio *Cyra*, sed *Cirrha*. Diserte Strabo: προσκεῖται δ' τῇ Κίῤῥᾳ τὸ Κρισσαῖον πεδίον εὔδαιμον. πάλιν δ' ἐφεξῆς ἐστιν ἄλλη πόλις Κρίσα, ἀφ' ἧς ὁ κόλπος Κρισσαῖος, εἶτα Ἀντίκιῤῥα. Hîc etiam scribo Ἀντίκιῤῥα, non, ut in vulgatis, Ἀντίκυρα, quia Straboni Κίῤῥα est, non Κύρα. Quare, ut Cirrha, πόλις ἀρχαία, cui campus adjacet Crissæus, confundenda minime est cum Crissa, urbe alia Phocica, a qua sinus Crissæus; ita una illa eademque Cirrha non est in urbes duas dividenda, quarum una sit Cirrha, alia Crissa, quod volebat Leocrines contra Geographorum omnium, & Periegetarum fidem; ita ut hoc modo maritima quatuor essent oppida Phocidis, Cirrha, Crissæ duæ, & Anti. cirrha. Nam quæ Crissa antiquitus vocabatur, ut vocata certe est ab Homero; eadem posteriori ætate Cirrha est appellata. Quam nominis quidem mutationem adscribit Etymologus τῷ πάθει. Est enim primum Κρῖσα, secundùm Homericum illud: Κρῖσάν τε ζαθέην.

θέλω. Inde ex Κεῖσα, ὑπερθέσει, factum est Κίρσα· ac demum ex Κίρσα, Κίῤῥα, ut ex χερσόνησος, χεῤῥόνησος. Pausanias in Phocicis: Λέγεται δὲ ἐς τὴν Κίῤῥαν, καὶ ἀπὸ τῆς Κίῤῥας τὸ ὄνομα τὸ ἐφ' ἡμῶν τεθῆναι τῷ χωρίῳ φασίν. Ὅμηρος μέν τοι Κρίσαν ἔν τε Ἰλιάδι ὁμοίως, καὶ ὕμνῳ τῷ ἐς Ἀπόλλωνα, ὀνόματι τῷ ἐξ ἀρχῆς καλεῖ τὴν πόλιν. Κρίσσαν vocat Pausanias illam Homericam, geminato τῷ σ. Scholiasta Euripidis ad Orestem: Φώκου παῖδες, Κρίσος τε, καὶ Πανοπεύς· τότε ὁ Κρίσος ἔκτισε τὴν νῦν Κίῤῥαν, τότε Κρίσσαν καλουμένην. Erat igitur urbs eadem Cirrha, quæ Crissa. Idque ipsum innuere quodammodo mihi videtur ipse Geographus, quippe qui post Cirrham, cui adjacet campus Crissæus, aliam esse dicat urbem Crissam, ἀφ' ἧς ὁ κόλπος Κρισαῖος. perinde quasi Crissa quoque vocaretur, quam ipse Cirrham nominat. Inde ab hac urbe campus Κρισαῖος, qui & idem Κιῤῥαῖος. Quod ipsum pariter indicat, utroque illam urbem nomine vocatam. Unde qui Κιῤῥαῖοι sunt Æschini, Pausaniæ, Polyæno, antiquo Pindari Scholiastæ, aliisque Scriptoribus, iidem Κρισαῖοι dicti sunt a Strabone; iidemque, cum simplici σ, Κρίσαιοι a Thessalo Hippocratis filio. Quanquam videtur nonnullis, quos vocat Strabo

Κρι-

Κρισσαίους, tempore belli Crissæi, non ab antiqua illa Crissa, quæ Cirrha dicta est, eos appellare; sed ab altera urbe Crissa. Sic enim verba ejus concipiunt, quasi dicat, Cirrham prius a Crissæis, deinde Crissam ipsam ab Eurylocho Thessalo, tempore belli Crissæi, deletam fuisse. Qua de re nos alibi disputamus. Nanque ii, quos dixi, Scriptores Græci Κιῤῥαίους, tanquam ab urbe Cirrha, eos denominant, qui, templo Delphico & donariis violatis, Crissæum bellum excitarunt; ipsamque eorum urbem Κίῤῥαν vocant. Et de Eurylocho quidem Thessalo ita commemorat Scholiasta Pindari: Εὐρύλοχος ὁ Θεσσαλὸς, καὶ πολεμήσας Κιῤῥαίους, ἀνεκτήσατο τὸν ἀγῶνα τοῦ θεοῦ, οἱ δὲ Κιῤῥαῖοι, λῃστρικῇ ἐφόδῳ χρώμενοι, ἐφόνευον τοὺς παραβάλλοντας εἰς τὰ τοῦ θεοῦ ἄλση. Erat Eurylochus dux belli gerendi constitutus: cujus etiam mentio apud Hippocratis filium Thessalum. Quare, si illud idem bellum Crissaicum dictum est, & Crissæum, quod gestum est adversus Cirrhæos; inde patet, eosdem Cirrhæos esse, & Crissæos, eorumque adeo urbem & Cirrham & Crissam esse appellatam. Athenæus lib. 13. καὶ ὁ Κρισσαϊκὸς δὲ πόλεμος ὀνομαζόμενος, ὥς φησὶ Καλλισθένης ἐν τῷ περὶ ἱεροῦ πολέμου, ὅτε Κιῤῥαῖοι πρὸς Φωκεῖς

κεῖς ἐπολέμησαν, δεκαέτης ἦν· ἁρπασάντων Κιρῥαίων τὴν Πελάγοντος τοῦ Φωκέως θυγατέρα Μεγιστὼ, καὶ τὰς Ἀργείων θυγατέρας ἐπανιούσας ἐκ τοῦ Πυθικοῦ ἱεροῦ. δεκάτῳ δὲ τῷ ἔτει ἑάλω καὶ ἡ Κίῤῥα. Ubi videtur Athenæus diversos Cirrhæos facere a Phocensibus, quod Cirrhæi pariter ac Delphi, communem, Phocensium appellationem respuerent. Siquidem οἱ Δελφοὶ πεφύγασιν ὀνομάζεσθαι Φωκεῖς. Ceterum quæ jam inde a principio Crissa, videtur mihi nomen postea suum per metathesin mutasse in Cirrham, ut ab alia Crissa distingueretur, a qua sinus Crissæus. Quanquam videntur alii Crisſæum sinum dictum existimasse ab illa eadem Crisſa, quæ est etiam Cirrha: quippe quum Crisſæum sinum, vocent quoque Cirrhæum. Heliodorus Æthiopic. lib. 2. διά τε τοῦ Κρισσαίου κόλπου τῇ Κίῤῥᾳ προσορμισθεὶς, ἐκ νεὼς ἐπὶ τὴν πόλιν ἀνέθεον. ac rursus lib. 5. Κιῤῥαῖοι μὲν δὲ κόλποι, καὶ Παρνάσσου πρόποδες. Qui tamen non videtur alterius Crisſæ rationem ullam habuisse: ut nec habuit ad Homerum Eustathius, cum Crisſæum sinum, eundem quoque vocatum ait Cirrhæum, propterea quod Crisſa dicitur pariter Cirrha. Nam qui Crisſam diserte separat a Cirrha Geographus, sinui Crisſæo factum esse vult nomen a Cris-

a Crisa. Itaque Crisæum vulgo vocant hunc sinum Scriptores. At vero campum, quem denominatum censent a Cirrha, quanvis aliquando dictum reperias Κειασαῖον, eo quod Cirrha ipsa, Κείασα quondam, ut diximus, vocaretur, unde videtur campus pristinum nomen retinuisse, ut apud Dicæarchum:

Παρ' οἷς πεδίον Κειασαῖον. ἀπὸ Κίῤῥας δ' ἄνω
Προσβάντι Δελφῶν πόλις ἄπεςι, καὶ ἱερόν.

Tamen frequentius, ἀπὸ τ Κίῤῥας, appellasse eum videntur Κιῤῥαῖον. Sic Κιῤῥαῖον ὠνομασμένον πεδίον memorat Æschines in Oratione contra Ctesiphontem. Sic ἱερᾶς χώρας τ ὀνομαζομένης Κιῤῥαίας meminit Diodorus Siculus lib. 16. Sic χώραν τὴν Κιῤῥαίαν dicunt Polyænus & Pausanias. Sic denique dicitur Plinio *sinus Crissæus*: ac deinde *Cyrrhæi Phocidis campi*, *oppidum Cirrha*: unde, corrupto facile nomine, ex Κιῤῥαῖον, seu Κίρραιον, factum est Κύραιον, ut Κύραιον πεδίον legitur in Periplo Scylacis: pariter ac pro Ἀντίκιῤῥα dici cœpta est Ἀντίκυῤῥα, & Ἀντίκυρα, *Anticyra*, hæc Livio. Itaque, ut ad Etymologum revertar, fallitur ipse quidem aliqua ex parte, quate-

nus videlicet ab eadem Crisa, quæ est Cirrha, nomen imponit sinui Crisæo, quum ab alia Crisa sinus cognomen illud acceperit: sed, quatenus Cirrham eamdem quoque esse affirmat, quæ dicta est Crisa, recte utique sentit; atque ex mente Geographorum. Qua in re turpiter lapsus est Leocrines, qui, quum urbem illam vocatam alibi videret Κρῖσαν, alibi Κίῤῥαν, propter ignorationem τοῦ πάθους, duas ex una urbes fecerit. Similiter ac si quis Crisæum campum diversum crederet a Cirrhæo, propterea quod alii eum Κρισαῖον, alii Κιῤῥαῖον nominant. Hæc fere nos ad Homerum de mente Etymologi: cujus hic peritiam Meursius desiderat. Cirrhæum autem illum, seu Crisæum, campum quum eundem nobis videri dixerimus, atque Ægæum, συνάπτοντα τῇ Κίῤῥᾳ, quem ab Æge amne Ægæum nominatum ait Stephanus; Ægem quoque hunc amnem, eundem ego esse opinor, quem alii Plistum vocarunt. Plistus nanque amnis, Græce Πλειστὸς, in urbem ipsam Cirrham influit, & per Cirrhæum illum campum in mare perlabitur. Pausanias in Phocicis, ubi agit de Delphis: Τραπομένῳ δὲ ἐς ἀριστερὰν ἀπὸ τοῦ γυμνασίου, καὶ ὑποκαταβάντι οὐ πλέον, ἐμοὶ δοκεῖν, ἢ τρία

στάδια,

ςάδια, ποταμός ἐςιν ὀνομαζόμενος Πλειςός. ὗτος ὁ Πλειςὸς ἐπὶ Κίῤῥαν τὸ ἐπίνειον Δελφῶν, ᾗ τὴν ταύτῃ κάτεισι θάλασσαν. & alibi: Ἐπεισεν οὖν ὁ Σόλων καθιερῶσαι τῷ θεῷ τὴν Κιῤῥαίαν, ἵνα δὴ τῷ τεμένει τῷ Ἀπόλλωνος γένηται γείτων ἡ θάλασσα. Εὑρέθη δὲ καὶ ἕτερον τῷ Σόλωνι σόφισμα ἐς τοὺς Κιῤῥαίους. Τοῦ γὰρ Πλειςοῦ τὸ ὕδωρ, ῥέον διὰ ὀχετοῦ σφίσιν ἐς τὴν πόλιν, ἀπέστρεψεν ἀλλαχόσε ὁ Σόλων. Καὶ οἱ μὲν πρὸς τοὺς πολιορκοῦντας ἔτι ἀντεῖχον, ἔκ τε φρεάτων καὶ ὕδωρ τὸ ἐκ τοῦ θεοῦ πίνοντες. ὁ δὲ τοῦ ἐλλεβόρου τὰς ῥίζας ἐμβαλὼν ἐς τὸν Πλειςὸν, ἐπειδὴ ἱκανῶς τοῦ φαρμάκου τὸ ὕδωρ ᾔσθετο ἔχον, ἀπέστρεψεν αὖθις ἐς τὸν ὀχετόν. καὶ ἐνεφορήσαντο γὰρ ἄδην οἱ Κιῤῥαῖοι τοῦ ὕδατος· καὶ οἱ μὲν ὑπὸ ἀπαύστου τῆς διαῤῥοίας ἐξέλιπον οἱ ἐπὶ τοῦ τείχους τὴν φρουράν. Cirrham porro aliquanto longius a mari abfuiſſe, confirmat etiam Polyænus lib. 3. cap. 5. de Cliſthene: Κλεισθένης Κίῤῥαν ἐπολιόρκει. Μαντεῦμα ἦν, Κιῤῥαίαν ἀνάλωτον ἔσεσθαι τὴν πόλιν, ἕως ἂν ψαύσῃ τῆς ἱερᾶς γῆς ἡ θάλασσα. οἱ μὲν Κιῤῥαῖοι κατεφρόνουν, πλεῖστον ἀπέχοντες θαλάττης. Quæ Polyæni verba alieno longe ſenſu, contraque mentem Oraculi, accepit Meurſius Atticarum Lectionum lib. 2. cap. 2.

Adſcenſus erat a mari ad urbem Cirrham per Pliſtum hunc amnem. Quare & ibi

navalia, tanquam in loco commodo & peropportuno, Delphi conſtituerunt. Adjacet Parnaſſo monti, ſive etiam opponitur, mons Cirphis. Παρακειμένlω τῷ Παρνασσῷ Κίρφιν, ὄρος ὅτω καλέμενον, dicunt antiqua in Pindarum Scholia. Antoninus Liberalis: Παρὰ τὰ σφυρὰ τῆ Παρνασσῆ πρὸς νότον, ὄρος ἐςὶν, ὃ καλεῖται Κιρφὶς, παρὰ τlὼ Κρίσσαν. Mons hic Cirphis in medio ſaltuoſus; & per medium hunc ſaltum fertur Pliſtus amnis in campum Cirrhæum. Alia in Pindarum Scholia: ἀντίκειται ἢ ἐκ μεσημβρίας τῷ ὄρει τῆ Παρνασσῆ Κιῤῥαῖον πεδίον, ϗ ὄρος, ὃ Κίρφιν καλῆσιν, ἐν ᾧ μέσος ὁ Πλειςὸς ὀνομαζόμενος φέρεται ποταμός. Graphica prorſus eſt deſcriptio illa Strabonis: Πρόκειται ἢ τῆς πόλεως (τῆς Δελφῶν) ἡ Κίρφις, ἐκ τῆ νοτίε μέρες ὄρος ἀπότομον, νάπlω ἀπολιπὸν μεταξὺ, δι' ἧς ὁ Πλειςὸς διαῤῥεῖ ποταμός. Ὑποπέπτωκε ἢ τῇ Κίρφει πόλις ἀρχαία Κίῤῥα, ἐπὶ τῇ θαλάττῃ ἱδρυμένη, ἀφ' ἧς ἀνάβασις εἰς Δελφὸς ὀγδοήκοντά πε ςαδίων. ἵδρυται δ' ἀπαντικρὺ Σικυῶνος. Πρόσκειται ἢ τῇ Κίῤῥᾳ τὸ Κρισσαῖον πεδίον εὔδαιμον. Cirrha dicitur Straboni ἐπὶ τῇ θαλάττῃ ἱδρυμένη, *ſita ad mare*, non quod non aliquantulum ſpatii inter Cirrham urbem, & mare intereſset (intererat enim, & quidem, quod ad pericu-
lum

lum attinebat, ne mari ſacra Apollini loca, urbemque ipſam Cirrham contingeret, πλεῖςον, ut ait Polyænus) ſed quia, navigiis adverſum flumen e mari intrantibus, facilis erat, nec ſane multo longior, ad eam urbem acceſsus: ſic enim, exempli cauſsa, Limyra, urbs Lyciæ, Plinio eſse dicitur *juxta mare*: quam tamen pedeſtri itinere diſtare Strabo ait a mari ad ſtadia viginti: eo quia nimirum eò a mari navigantes per Limyrum amnem, tametſi longiori aliquanto, ut videtur, curſu, ſubvehebantur. Hac de cauſsa, quod Cirrha aliquanto remotior erat a mari, Cirrhæus ager Apollini eſt conſecratus, ut mare nimirum, ſecundum Oraculum, ſacram Deo regionem allueret. Quod σόφισμα fuit Solonis. Ab urbe hac Cirrha ad Delphorum urbem ἀνάβασιν ait eſse Strabo ſtadiorum fere octoginta; quam quidem ἀνάβασιν, terreſtrem intellige. Male viri docti, ut Strabonem cum Pauſania concilient, ἀνάβασιν hanc Strabonis explicant de adſcenſu, ſeu navigatione per Pliſtum flumen; eo quia nimirum Pauſanias terreſtris itineris intervallum inter Delphos & Cirrham, ſtadia ponit ſexaginta: ubi Pauſanias, contra atque facit Strabo, Delphis deſcendit Cirrham. Ἐς δὲ Κίῤῥαν, inquit, τὸ ἐπίνειον Δελ-

φῶν,

φῶν, ὁδὸς μὲν σταδίων ἑξήκοντά ἐστιν ἐκ Δελφῶν. καταβάντι δὲ ἐς τὸ πεδίον, Ἱππόδρομός τέ ἐστι, &c. Ἀνάβασις Straboni, κατάβασις est Pausaniæ: utraque terrestri eodem itinere. Neque vero ab urbe Cirrha, atque adeo a mari, est ad urbem Delphorum per flumen navigatio. Qua tamen in re valde mihi mirificus & suavis Meursius, qui, quum utrumque illum Scriptorem de fluvii alveo, & fluviatili itinere accipiat, longius dicit esse intervallum a Cirrha ad Delphos, propter adversum flumen, quam a Delphis ad Cirrham, prono flumine. *Et observa*, inquit, *τὴν ἀνάβασιν signate dici. Ergo Cirrha Delphis aberat intervallo stadiorum* LXXX. *nempe propter adversum flumen. Contra, cum Delphis Cirrham iretur, prono flumine, non tam longum erat iter, & stadiorum tantum* LX. Sic conciliandum putat Pausaniam cum Strabone. Quasi scilicet adscensus per unam eandemque viam atque descensus intervallum ejusdem viæ, quod unum & idem est, longius ac brevius faciat. Palam est, tantumdem esse stadiorum, sive, adverso flumine, Cirrha Delphos adscenderis, sive, prono flumine, Delphis Cirrham descenderis; idque tantum esse differentiæ, quod, prono flumine, multo citius, quam adverso, cursum absol-

absolveris. Nec recte conciliavit Casaubonus, qui locum Pausaniæ de terrestri itinere, Strabonis de fluvii alveo intelligit. Siti erant Delphi in latere montis Parnassi, eratque urbs undique in clivum veluti resupina. Ab urbe, atque a gymnasio descendentibus, trium ferme stadiorum intervallo, occurrebat ad lævam viæ Plistus amnis. Pausanias; Τραπομένῳ δὲ ἐς ἀριστερὰν ἀπὸ τοῦ γυμνασίου, καὶ ὑποκαταβάντι οὐ πλέον, ἐμοὶ δοκεῖν, ἢ τρία στάδια, ποταμός ἐστιν ὀνομαζόμενος Πλειστός. Qui Plistus deinde amnis per medium, ut diximus, Cirphis montis saltum in subjectum Cirrhæum campum, atque ad Cirrham defluebat. Hinc manifestum est, adscendentibus Cirrha Delphos non nisi terrestre iter patuisse; ideoque ἀνάβασιν illam Strabonis stadiorum octoginta, non nisi de terrestri itinere esse intelligendam. Quod etiam luculente apparet ex adscensu terrestri Eumenis regis Delphos ab urbe Cirrha, accurate descripto a Livio lib. 42. *Satis constabat, Eumenem, ut sacrificaret Apollini, Delphos adscensurum. Progressi cum Evandro insidiatores, nihil aliud ad peragendum inceptum, quam loci opportunitatem, omnia circumeuntes, quærebant. Adscendentibus ad templum a Cirrha, priusquam perveniretur ad frequentia ædificiis*

ficiis loca, maceria erat a læva semitæ, paullum extans a fundamento, qua singuli transirent, dextra pars labe terræ in aliquantulum altitudinis diruta erat. Post maceriam se abdiderunt, gradibus adstructis, ut ex ea, velut e muro, tela in prætereuntem conjicerent. Primo a mari circumfusa turba amicorum, ac satellitum procedebat: deinde extenuabant paullatim angustiæ agmen. Verbo ἀναβαίνειν in eodem Eumenis regis adscensu ἐκ Κίῤῥας ἐς Δελφοὺς describendo usus est Appianus, περὶ πρεσβειῶν c. XXV. ἐκ Κίῤῥας ἐς Δελφοὺς ἀνέβαινε θύσων. Unde plane constat, quam ἀνάβασιν vocat Strabo ἀπὸ Κίῤῥας εἰς Δελφοὺς, ἀνάβασιν eam esse terrestrem, non fluviatilem; nec de terrestri itinere discordareStrabonem a Pausania; sed de numero duntaxat stadiorum: quo de numero non ii magis conciliari inter sese possunt, quam numeri ipsi, octogesimus & sexagesimus. Cirrhæum porro, seu Crissæum illud πεδίον, dicit Strabo εὔδαιμον, διὰ νομὰς ἀγαθὰς, καὶ εὐγαλάκτους. Erant in campo hoc Crissæo ad Cirphin montem Μέλαινα, seu Μέλαιναι: cujus etiam urbis meminit Thessalus, Hippocratis filius. Galenus in Exegesi de Melænis: πόλις δὲ αὕτη κατὰ τὸ Κρισαῖον πεδίον προκειμένη τῷ Κιρφίῳ, νομὰς ἀγαθὰς ἔχουσα, καὶ εὐγαλάκτους, ὥς φησιν ὁ Διοσ-

ὁ Διοσκουρίδης. Pro προκειμένη, legendum est προσκειμένη, pro Κειφίῳ, legendum Κιρφίῳ. Κίρφιον ὄρος, ᾧ Φωκέες παράκεινται, dixit Theſsalus. Optimæ ibi erant capræ. Unde Μελαῖνις αἶξ ἡ ἐκ Μελαινῶν, in pretio olim atque in laude habita. Μελαῖνις πεζιασωμένως legendum cenſebat Dioſcorides. Videntur in ſaltu illo Cirphis, ſeu Cirphii montis, propter magnitudinem atque ubertatem paſtionis, numeroſi greges caprarum paſci conſuevisse. Hinc Pliſtus ille amnis, qui per ſaltum illum medius ferebatur, ἀπὸ τῶν αἰγῶν, *a capris*, videtur mihi Αἰγὸς, *Capri*, nomen obtinuiſse, atque hinc ab Æge hoc flumine Criſſæus ille campus, Ægæus etiam appellatus. Hæc mea eſt opinio, de qua judicent alii. Mihi ſane opinio hæc mea eo veriſimilior videtur, quod quæ de Æge flumine, & de campo Ægæo τῷ συνάπτοντι τῇ Κίῤῥᾳ tradit Stephanus, mire quadrant in Pliſtum amnem, & in campum Cirrhæum. Neque enim alius ibi videtur eſse fluvius, niſi Pliſtus, neque alius ad Cirrham campus, niſi Cirrhæus. Pliſti autem ibi fluminis plerique veterum meminerunt. Ego vero in fluvii hujus nomine Grammaticis obſecutus ſum, ut ubique Πλειστὸς ſcriberem, ὀξυτόνως; quam etiam rationem accentus nota-

vit

vit Scholiasta Apollonii: ἐπεὶ καὶ ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων λέγεται Πλειστὸς, ὡς καλός. In sensu verborum horum Scholiastæ, qui vel pueris obvius est atque a pertus, plus quam pueriliter lapsus est ad Callimachum vir scilicet magnus, Ezechiel Spanhemius: quippe qui ad illud Callimachi, Hymno in Delum:

Θηρίον αἰγογένειον ἀπὸ Πλειστοῖο καθέρπον.

ex Græcis interpretibus, hoc est, ex Scholiasta Apollonii, notet, ab indigenis non Πλεῖστον, sed Πλειστὸν, dici eundem fluvium, *idque quasi pulcrum*, ἐπεὶ καὶ ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων λέγεται Πλειστὸς, ὡς καλός, ignotamque esse illam vocis πλειστὸς pro καλὸς significationem. Quasi scilicet Scholiastæ πλειστὸς sit καλός: quum dicat Scholiasta id nominis πλειστὸς ὀξυτόνως efferri, ut καλός. Hæc ego in Meursium opera quasi tumultuaria animadvertebam, cum Scriptorum ejus tomum alterum recentis editionis, pro commisso mihi censoris munere, perlegerem. Quæ tibi, Georgi Jachson, mittenda esse decrevi, ut, si tanti mea hæc est epistola, ut ad memoriam transmittatur posteritatis, æternum hoc apud posteros extet meæ erga te observantiæ, tuorumque in me maximorum promeritorum monumentum. Vale. Pisis Kal. Septembr. MDCCXL.

LET-

LETTERA
D' UN ACCADEMICO
DELLA CRUSCA

SCRITTA

AD UN ALTRO ACCADEMICO

DELLA MEDESIMA.

NEll' Eloquenza Italiana di Monſignor Fontanini, uomo quanto abbondante di rara erudizione, tanto mancante di un giuſto raziocinio, e quanto copioſo di belle notizie, altrettanto ripieno d'una fiera animoſità, le quali coſe ſpiccano più che in ogni altra in queſta ſua opera, dice a carte 83. che Dante preſe l'invenzione più piccol di quelle ſue tante bolge, o cerchi Infernali dal Romanzo intitolato il *Meſchino*, di cui ne cita alcune edizioni, oltre le quali ce n'è una fatta in Venezia nel 1553. per Agoſtino de' Biondoni in 8. molto ſcorretta, come ſono le ſtampe de' libri di lingua Toſcana antica fatte in Venezia circa quel tempo. Per autore di queſta opinione cita Malateſta Porta nel Dialogo intitolato il Roſſi, nel quale difende il Taſſo dall' obbiezioni fatte alla Geruſalemme liberata dal Cavaliere Lionardo Salviati ſotto nome dell' Infarinato, che così egli ſi chiamava nell'Accademia della Cruſca. Veramente nel ſuddetto Romanzo al capo 167. ſi racconta, che il Meſchino da Durazzo, o ſia il Guarino, che con amendue queſti nomi è chiamato l' Eroe di

quella favolosa istoria, entrò nel Purgatorio di s. Patrizio posto in Ibernia, dove andavano i gran peccatori per purgare i loro peccati, e per questo cantò l'Ariosto canto 10. st. 92. parlando di Ruggiero, che andava a volo sull' Ippogrifo:

E vide Ibernia favolosa, dove
Il Santo Vecchiarel fece la cava,
In che tanta mercè par che si trove,
Che l' uom vi purga ogni sua colpa prava.

I quali versi restano oscuri a chi non sà questa favola. Questo Purgatorio è chiamato anche *Pozzo*, secondo che si ha nel Breviario di Parigi impresso nell' anno 1622. in quelle parole: *Antrum vero pœnitentiale etiamnum visitur, quod de ejus nomine Puteus seu Purgatorium s. Patritii vocatur*; e perchè la più parte di quelli che v' entravano non ritornavano mai più; quindi venne quel modo di dire quando si smarrisce qualche cosa: Bisogna che ella sia andata nel Pozzo di s. Patrizio. E che e' si chiamasse comunemente così; si raccoglie dal capo 162. di esso Meschino, dove si legge: *Cominciò a pregar per Dio e per misericordia, che lo facesse intrar nel Pozzo, ovver nel Purgatorio di santo Patrizio, dove purgheria tutti li suoi peccati; disse l' Arcivescovo, io non voglio, che tu ti metti a tanto pericolo, imperocchè molti vi sono andati, che non sono tornati*; Il che concorda con quello che lasciò scritto Cesario d' Heisterbac, che scrisse nel 1222. la

sua

sua storia de' miracoli, anzi in quell' anno terminolla, dicendo: *Multi ibi perierunt, multi etiam reversi sunt*. Ma venendo a considerare, se Dante abbia tratto da questo libro l'invenzione delle bolge; certo è che qualche somiglianza ci è tra l'Inferno di Dante, e quello che è descritto nel Meschino, ma è tanto lontano l'uno dall'altro, che potrebbe parer benissimo, che niuno di loro si fosse ricopiato. Nel Meschino si fa menzione di alcune vallate, e laghi, e piani, dove stavano i peccatori, non di rocce, nè di bolge. Le vallate suddette son poche, e non se ne descrive la forma, le bolge di Dante son molte, e descritte minutamente, che par di vederle dipinte e data di esse una misura esatta. Le forme delle pene in Dante sono più varie, ed esse pure descritte con proprietà, e diligenza. Dante comincia dall'Inferno; e, e nel Meschino si comincia dal Purgatorio; e il passaggio dal Purgatorio all'Inferno, e la differenza tra l'un luogo e l'altro è quasi insensibile, oltre molte altre cose, che troppo lungo sarebbe l'annoverarle, le quali sono diverse, quanto il Cielo dalla Terra, e che fanno credere, che uno non abbia veduto l'altro; ma, per lo contrario poi si trovano altre cose, che pare impossibile esser venute in testa ad amendue. La più notabile è la descrizione di Lucifero, che nel Meschino si dice aver sei ale, e tre facce, e lo stesso si legge in Dante Infer. can. 34.

